This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gh
63
330

~~F.707~~

1387

Gh 63. 330.

Bd. 1873.

The Gift of
George M. Lane,
Prof. in Harv. Univ.
(H.U. 1846),
13 August, 1855.

PROLEGOMENA CRITICA

AD

BATRACHOMYOMACHIAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS AUGUSTUS BAUMEISTER,
HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE, MDCCCLII.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

Gk63.336

1855 Aug 13
Letter
Geo. M. Lane
Prof in Hand Library

PROLEGOMENA CRITICA

AD

BATRACHOMYOMACHIAM.

Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
HORAT.

Ad Batrachomyomachiam accuratius cognoscendam praeter alia me adverterunt verba Godofredi Hermanni, quae sunt in epistola ad Ilgenium data (hymnorum editioni praefixa) p. XI haec: „Batrachomyomachiam alii poetae nunc addendo, nunc detrahendo, nunc mutando, prout cuique consilium, quod ipse habebat, postulare videbatur, interpolarunt.“ Et paullo infra haec: „Ejus carminis varias lectiones qui consideraverit, sponte intelliget, non versus quosdam tanquam spurios expelli debere, sed plures constituendas esse Batrachomyomachias, quarum multa communia, alia diversa sunt.“ Quae sententia quum mirum me haberet, ut non sum proclivis in verba iurare vel talis magistri, ita non fuit consilium cum fastidio aspernari dictum Hermanni, quod nemodum, quod sciam, accuratiori consideratione dignatus est. Itaque ipse quum ad rem propius investigandam accingerer, paullatim res eo delapsa est, ut totum carmen pertractandum et quodammodo refingendum censerem. Quod cur opus sit visum, ex iis apparebit, quae primo loco de editionibus huius carminis dicenda mihi sunt.

§. 1. *De editionibus.*

Editio princeps huius carminis quae fuerit, inter viros harum rerum peritissimos est dissensio; cf. Harles. in Fabricii Bibl. Gr. I. p. 388 coll. editione Maittairii p. XIII sq. et p. 13. Quae tamen res, ut est sane difficillima post longissimum temporis intervallum ad dirimendum (agitur enim de libris sine nota anni locique in lucem emissis), ita parum, ni fallor, ad hanc quaestionem attinet. Videtur autem primum prodiisse in lucem Batrachomyomachia Venetiis a. 1486, qui liber (si Maittairio fides habenda, qui eius exemplar in editione sua accurate repeten-

dum curavit) eo est notabilis, quod „primus tunc omnium veteris Graeciae scriptorum sub incude sudavit". Verba huius editionis dubium non est quin diligenter e codice ms. sint expressa, etiam levioribus interdum mendis non correctis, eaque de causa codicis instar merito iam a Maittairio habita editio est*). Eae autem editiones, quas modo dixi Venetae palmam praeripere studere, sive eam antecesserunt, sive sunt secutae, nihil certe ad carminis formam et contextum mutandum contulerunt; id quod ex eo maxime efficitur, quod nusquam adhuc comparuit vetus exemplar, quin textum vulgarem reddiderit. Is vero non constitutus est editione Veneta, quae nullum habuit imitatorem, sed editione Homeri operum Florentina 1488 quae prodiit cura Demetrii Chalcondylae. In hoc libro spectabili Batr. ex uno codice **), ut illis temporibus solebat, expressa est, sed tamen non expers fuit manus docti correctoris. Quod quum ipse Chalcondylas in praefatione significare videatur (*τὸ μὲν ὑπὸ τῶν τὰ γράμματα συντιθέντων, τὸ δ' ἔτι ὑφ' ἡμῶν παροφθέν*), tum omnis dubitatio tollitur multis et interdum insignissimis lectionibus, quae in nullo codice nunc inveniuntur. Sic versu 19 ***) legitur *ποτε γείνατο* invitis codicibus, qui habent ad unum omnes *ἀνεθρέψατο*, quod fortasse ob insolentiam formae mutandum censuit; sed usus medii active usurpati sustinetur huius carminis v. 30 et Hermesian. eleg. fg. 69 Delect. cum Theopompo ap. Athen. p. 517. — Lacunam fortasse codicis expleturus v. 25 interposuit *φίλε* adversante v. 32. Contra codices etiam, licet probabili coniectura transpositi sunt vv. 127. 128, quorum locus fuerat post 131. Sed causam mutationis omnino non perspicio his locis: 63 *αἴρω σ' ἐν νώτοισι*, 241 *θυμιώθη*, 55 *ὑμῖν*, ubi codicum elegantem structuram *ὑμέτερα — τῶν κατὰ λίμνην* Ilgenius probat ex Hymn. Apoll. Pyth. 150. 203. Plerisque quidem locis corruptela codicis ansam dedit coniectandi, ubi verba tantum ponam in codd. non inventa, de sententia postea disputaturus: 165 *καὶ κόρυθες κοχλιῶν λεπτῶν κράατ' ἀμφεκάλυπτον*; 174 *ἐπαλεξήσουσα πορεύσῃ*; 176 *ἐδέσμασιν ἐκ θυσιάων*; 184 *τρώγλας τ' ἐμποίησαν*; 225 *Λιμνήσιος δ' ὄχθῃσι Τυρόγλυφον ἐξενάριξε*; 234

*) Hunc codicem invenisse me arbitror in Catalogo Bibl. Mss. Nanianorum (patriciorum Venetorum) Bononiae 1784. IV. p. 478. cod. 282, 5: *Ὁμήρου Βατρ., ἐν δέ τισι Τίγρητος τοῦ καρός.* Scholia incipiunt: *Ἀρχὴν ποιούμενος καταρχὴν τῶν θεῶν τῶν — ἐκ τοῦ ὄρους.* Quae quidem prorsus cum illa editione conspirant.

**) Agnoscere hunc mihi videor apud Bandinium in Catal. Mss. Gr. Flor. 1768. II, Plut. 32 cod. 7, ubi additur: Ex hoc codice impressa est editio princeps Homeri operum cum Batr. Flor. 1488.

***) Versuum numerus, qui valde in editionibus discrepat cum magno legentium incommodo, hic semper ad exemplar Frankianum (1828) computatus est.

Κνισσοδιάκτην. Omisit vv. 257—61, quia veram sententiam restituturum se desperavit; contra nova prorsus et male Graeca finxit 262 sqq. Has discrepantias, quarum numerum facile fuerit augere (sed omittam, quae sunt minoris momenti), si quis tamen e singulari quodam codice profectas esse contendat, potuisse id quidem fieri etsi non praefracte negamus, tamen ipsum illum codicem interpolatum fuisse judicabimus, ut nihil hoc artificio lucratos esse nos confitendum sit. Nam illud ex aliis locis satis potest certe demonstrari, eum codicem, ex quo Florentina expressa est, ceteros, qui hodie ad usum nobis supersunt, neque aetate neque dignitate superare.

At sane miretur aliquis, quid sit, quod tamdiu moratus sim in his vetustis libris describendis, quos nunc plerique non flocci ac merito quidem facere soleant; sed sciendum est eos antehac longe plurimi esse aestimatos. Tanta enim harum editionum non solum illis temporibus, sed paene ad nostram usque aetatem stetit auctoritas, ut in omnibus quae adhuc exstant editionibus, si dico minimum, pro fundamento quasi exstruendi verborum contextus essent. Et antiquiores quidem editiones Basileenses, Colonienses, Parisinas, alias, quas partim ipse manu versavi, partim ex Alteri et Maittairii annotatis, quod satis erat, cognovi, paene ipsis cum erroribus typothetarum vulgatum Florentinae textum esse imitatas codicibus nullis adhibitis, non est mirum, si quis illorum temporum conditiones perspectas habeat. Paucissimas vero illas mutationes vel etiam, si fors tulit, correctiones nunc nihil interest nostra ut accuratius enumeremus; in gravioribus autem rebus ita tenaces editores erant vulgatae lectionis, ut etiamsi melius quid prolatum a doctioribus erat, taciti contemnerent vel certe mutare nihil auderent. Ipse H. Stephanus in Epicorum Graecorum corpore 1566 lectiones aliquot varias annotavit, non aestimavit.

Sed primus, qui facem critices, ut ita dicam, admovere visus est huic carmini, Barnesius fuit in recensione Homeri Cantabr. 1711, qui magna instructus eruditione triumque codicum ope adiutus tamen nihil fere profecit, nisi ut locum unum et alterum ex codicum auctoritate mutaret, coniecturis autem suis, in quibus maiorem gloriam posuit, carmen paucis locis feliciter emendaret, pluribus perverteret potius quam restitueret*). Sed quam ille licet perverse instituerat emendationem, eam prorsus neglexit qui hunc proxime sequitur Mich. Maittaire (ed. Lond. 1721. 8), vir accuratissima diligentia, in rebus antiquis curiosus, qui post integra verba et Venetae et Florentinae editionum lectiones ex compluribus codicibus ab ipso collatis auctas assi-

*) Notandum etiam videtur, quod Clarkium decepit, hoc signo γρ. in notis posito modo lectionem codicum vel editionum indicari (γράφεται), modo coniecturam (γραπτέον).

due enotavit, versiones adiecit, superiorum disputationes congessit, commentarios denique addidit eruditionis quam acuminis pleniores. Cuius viri opera tamen usque ad recentiora tempora editores fugisse videtur; nam neque codicum ab illo collatorum usquam fit mentio neque commentariorum. Sed eandem sortem per duo secula alius huius carminis editor expertus est, Leonhartus Lycius, vir ut videtur eruditissimus, cuius laudes post mortem Joach. Camerarius carmine graeco celebravit (Ernestius praef. Batr. Hom. Opp. ed. 1764). Eius editiones duo iniquitate temporum mox oppressae sunt vulgatarum multitudine iacebantque in tenebris bibliothecarum, ita ut neque recentiores critici earum utilitatibus fruerentur ipsosque Barnesium et Maittairium fallerent, donec Ernestius exemplar earum denuo protraxit in suaque Homeri editione magnam partem lectionum publici iuris fecit. Sed ut de his lectionibus ab Ernestio aliisque magni aestimatis rectum faciamus iudicium, primum ipsa verba Lycii videamus. Contigit enim mihi, ut utramque editionem in thesauris bibliothecae Guelferbytanae reperirem (Ernestius alteram solam noverat), quarum prior hunc prae se fert titulum: „*Βατρ.* Homeri poema opera Leonharti Lycii, multis in locis auctius castigatiusque editum atque annotatiunculis illustratum.“ Praefatur ita: „Cum facta mihi esset copia libri perquam vetusti, in quo Graecorum aliquot poetarum monumenta manu essent exarata, contulissemque cum illo exempla typis excusa, deprehendi sane multa, quae illic partim emendatiora, partim etiam pleniora legerentur. Qua ex re quum non mediocrem caperem voluptatem, quod putarem me non omnino carbones, quod dicitur, pro thesauro repperisse; *coepi accurate transscribere ea, quae rectius istic perscripta esse videbantur.* Etsi enim aliquibus hic labor nullius esse momenti videtur, etc. Lipsiae in Collegio principis minore. MDLXVI.“ Altera editio inscripta est: „*Βατρ.* — nuper emendatius editum et annott. illustratum, nunc ab eodem recognitum et perpurgatum.“ Praefatio incipit: „Cum typographus noster nuper mihi significasset, se in animo habere rursum exprimere Homericum poema, *annis abhinc amplius tribus* emendatum a me atque annotationibus illustratum, quod a Graecae linguae studiosis iamdiu exemplaria requirerentur; visum fuit summa cura recognoscere, quae fuissent ante a me edita eaque et limare politius et augere cumulatius, praesertim cum ad eam rem nonnihil mihi suppeteret adiumenti. Nam ad codices calamo exaratos duos, quos superiore etiam tempore inspicere mihi licuit atque consulere, quorum alterum Clariss. vir Joachim Camerarius, praeceptor meus in parentis loco mihi colendus, alterumque bibliotheca Academiae nostrae Paulina mihi suppeditavit, commodum accessit hoc tempore exemplum singulari studio ab H. Stephano excusum etc.“ Subscriptio autem haec est: „Anno MDXLX mense Aprili,“ quod quum falso in-

terpretatus sit Ernestius, emendandum esse MDLXX (1570) ostendunt verba praefationis. Ostendunt eadem quae descripsi verba, hanc Lycii recensionem (in textu nihil differt inter se utraque editio) non mereri fidem codicis manuscripti. Nam non solum ea tantum, quae ipsi videbantur, transscripsit, sed etiam duo codices optionem dabant lectionis, ad quos tertius accedebat textus vulgatus. Ita enim res se habet, quod ex diligenti perscrutatione assecutus sum: tota recensio fundata est in vulgari textu; apparet autem primum ex eo, quod compluribus locis Chalcondylae quas memoravi correctiones manserunt, ut v. 19. 25. 127. 128. 165. 174. 176. 184. 234. 241; deinde quod interdum vulgatam presse sequitur, ubi codicem suum nominatim addit aliud tenere, cf. v. 12 *ἕπος δ' ἐφθέγξατο τοῖον*, ubi cod. *ἕπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζε*; 19 *ποτε γείνατο*, cod. *ἀνεθρέψατο*; 35 *τριςκοπ.* cod. *δις κοπ*; 54 *τεύτλοις*, cod. *πράσσοις*; 136 *σκῆπτρον*, cod. *ῥάβδον*; 160 *ὣς ἄρα φωνήσας ὅπλοις ἐνέδυσεν ἅπαντας*, cod. *ὣς εἰπὼν ἀνέπεισε καθοπλίζεσθαι ἅπαντας*. Ex codicibus igitur pendere lectionem ibi tantum est probabile, ubi a Florentina discrepat. Deinde Lipsiensis codex, quo utebatur, idem est, quem postea ex Ernestii editione cognitum, nunc ipse diligentissime excussum habeo; Camerarii liber quo gentium devenerit, reperire non potui. Iam igitur, utri horum codicum lectionem novam assignemus, plus triginta locis haeremus, acceditque, quod in editione posteriori saepe discrepantiae notantur, quas *alibi* repperisse se dicit. Sed ut brevi de hac re absolvam, quae plus molestiae habet quam fructus, lectiones, quae *alibi* esse dicuntur, plerumque sunt vulgatae (cf. ad 55. 63. 72. 74. 81. 92. 104 al.), quas expunxit ope librorum; interdum in Lipsiensi apparent, ut 111. 114. 131. 228. 292; aliquoties ab illo alienae ad Camerarii codicem referendae videntur: 24. 60. 116. 153. 245. 254. Ex novis autem lectionibus Lycii pars tales sunt, quibus quum in omnibus exhibeantur codicibus, antea vulgatae correctiones offecerint, ut 55 *ὑμέτερ'* recte rescripsit pro *ὑμῶν*; 63 *βαίνέ μοι ἐν νώτοισι*; additi sunt vv. ante omissi 228. 257—61; pars et Lipsiensi et aliis codicibus continetur: 36. 57. 60. 67. 72. 78. 93. 100. 104. 106. 112. 120. 141. 148. 157. 188. 196. 281 sqq. 262 sqq.; pars denique Camerarii libro attribuenda videtur. Ex hisce autem lectionibus aliae in nostrorum codicum uno vel altero inveniuntur: 86. 156. 195. 212 sqq. 225. 271; ab aliis, quia prorsus novae sunt, non abest suspicio, Lycii ipsius ingenio deberi. Ita v. 35 non solum omnes codices uno fortasse excepto praebent *ἀπ' εὐκύκλου*, sed confirmantur etiam ex Etym. Magn. p. 150; Lycius dedit sive ex ipsius sive codicis emendatione *ἐπ'*, non falso quidem, sed nihilo rectius linguaeque usui accommodatius, quam *ἀπό*, quod attractione quadam indicat, *unde* mus arripuerit cibum; cf. Xen. An. I, 5, 10

βάλανος ἡ ἀπὸ τοῦ φοίνικος. Contra praeclara emendatio comparet v. 92 ὕστατα pro ὕδασι, quod quam languidum sit, nemo non sentit; vide similes locos Callini eleg. 15 ἀποθνήσκων ὕστατ' ἀκοντισάτω et Aesch. Ag. 1420. — Mutatio scripturae codicum clare ostenditur v. 98, ubi versus duos a codicibus corrupte traditos in numeros restituere conatus est; etiam v. 130 singularis numerus εὐμήκης βελόνη codicibus niti non videtur, neque opus est hac emendatione propter sequens παγχάλκεον ἔργον. — Haec igitur, quae Lycius praestitit huic carmini, cuiusmodi sint, in aperto est; exiguis instructus auxiliis carmen nonnullis versibus auxit, multa loca ex codicibus mutavit, sed nulla certa regula adhibita; immo difficultates potius texit, quam aperuit, neque magis intellexit, quae deessent, quam quae superessent. Sed fama illa vetusti codicis Ernestio quoque ita imposuit, ut Lycii recensionem fere integram in Homeri editione repeteret, paucis locis suspiciones melioris lectionis proferret; omnino is rem multo securius tractavit, quam ut iure „ad fidem veterum librorum," quod in titulo profitetur, carmen recensuisse posset videri.

Dissimilem ab hac et multis in rebus politiorem habet aspectum liber Ilgenii, viri praestantissimi, qui in Hymnorum Hom. editione 1796 etiam huic carmini operam navavit assiduam. Is enim Barnesianis codicibus et Vindobonensibus usus Lyciique consulta editione compluribus locis vulgatam expulit et aperta menda correxit; sed idem quum et saepius non satis accurate de codicum lectione rettulerit (id quod moneo, ne quis aut decipi se patiatur aut me ipsum coarguat negligentiae), et, quod maius est, minus rectum de auctoritate librorum habuerit judicium, factum est, ut multa praeterierit, quae corrigere potuerat, nonnulla in peius mutaverit plusque iusto coniecturis multo audacioribus tribuerit, quibus interdum, quae egregie emendasse sibi visus est, ea prorsus intellectu destituit (v. ad v. 129. 215. 221. 251 eius edit.). Atque ego haec invitus dixi de viro optime merito; sed cavere volui, ne quis apud eum verba scriptoris quaerat longo saepe intervallo ab eius lectione distantia.

Non multo post prodiit A. Matthiaei Hymnorum editio, quem librum qui inspexerit, laudabit fortasse farraginem lectionum undique collectam; sed — dicendum enim est, quod taceri non decet — tanta usus est vir in litteris maxime laudandus negligentia in varietate lectionis annotanda, ut accurate quaerenti nulli possit esse emolumento. Critica vero eius ratio ea est, ut nullo inter diversissimos codices facto discrimine tum numerum librorum sequatur, tum priores editores; in locis difficillimis plerumque vulgatae lectioni obsequitur „quod tutissimum visum est"; coniectura prorsus abstinuit.

Hunc longe superavit, ut par est, F. A. Wolfius, vir sum-

mus, cuius quae partes fuerint in hoc carmine recensendo, breviter potest indicari. Quum enim videret criticus acerrimus, textum plurimis locis graviter esse laesum, ad maiora quaedam intentus noluit multam operam impendere singulis locis sanandis, codices corruptos contempsit satisque habuit primus lacunas complures significare. Salvum igitur totum carmen esse quum negaret, accuratam quaestionem non instituit de nugis ad Homeri sui irrisionem ut videbatur compositis, et qui Barnesianos tantum codices et Vindobonenses novisset, desperans paene in Prolegg. p. 255: „Hos excute, quaeso, exclamat, et experire, an poematium extundere ex iis possis, quale fuerit primum!“ Nec profecto mirum, hic si multos tali dicto ab emendandi carminis consilio deterruerit.

Presse secutus est Wolfii vestigia Bothius (in Hom. edit. T. VI), sed tamen ea sumpta licentia, quam solet, ut coniecturas suas effuderit tumultuarias specieque ingeniosas, sed nusquam fere huic poetae convenientes. Itaque raro auxilium tulit locis depravatis, sanos non ita paucos corrupit.

Recentissimus editor adest Frid. Frankius, qui in Hymnorum editione Batrachomyomachiam brevi adnotatione adiecta non tam obiter tractavit, quam primo obtutu videri potest; complures enim locos correxit, nonnullos etiam purgavit ab editorum et codicum importunis interpolationibus. Sed ne is quidem solis codicibus auctoritatem tribuit neque inter eos discrimen statuit, sed modo hinc modo illinc libavit et vulgatam saepe intactam reliquit, ita ut nonnulla ex iis, quae in Florentinam correctoris manu illata dixi, per omnes editiones propagata etiam hodie ab omnibus legantur. Multa praeterea sunt, quae parum fide codicum commendentur, plura etiam, ubi difficillima inter varias scripturas sit electio, plurima denique, ubi codicum ope desperata coniecturis opus sit vel audacioribus. Nam difficillimo quoque loco factum est, ut quae in Florentina exstaret aut apud Lycium lectio, ea paullulum mutata servaretur ad nostramque aetatem superari nulla codicum discrepantia posset.

§. 2. *De emendandi carminis ratione atque de subsidiis.*

His rebus cognitis facile fuit ad intelligendum, quid sit, quod carmen ad Homerum antehac relatum Homerique dignum nomine habitum post tot secula adhuc iaceat misere corruptum librariorum nugis ac foedissimis mendis commaculatum. Nemo enim editorum operam dederat, ut via ac ratione fieret emendatio, sed quam quisque in singulis locis conceperat opinionem de codicum pretio atque auctoritate, eam secutus erat nihil moratus, quominus alio loco contraria fortasse statueret; quod ne exemplis confirmem, multitudo facit ipsa exemplorum. Quid igitur? Proderatne rem multis iam erroribus implicatam magis etiam turbare? unum vel alterum locum leviter resarcire?

Immo fundamenta aedificii sunt aggredienda, visendum solum, sitne satis firmum; incerta atque instabilia sunt demolienda, ne aedes levius exstructas subita ruina secum trahant. Tela denique textus verborum, ut uno verbo dicam, est retexenda, ut et quid sit appareat et quid fieri possit ex ea quae nobis restat materia. — Primum igitur, ut ad rem ipsam aliquando veniam, superstitiosa fide antiquarum editionum procul habita ad fontes, id est ad codices ceteraque subsidia est redeundum, ut quid traditum sit his qualibuscunque testibus, accurate cognoscatur. Codicibus autem usus sum his, quorum nomina, ut brevis esse possem, litteris appositis permutavi:

A Oxonienses duo, num. XLVI et LXIV bibliothecae Barocciani, chartacei, signati *A* et *Γ* apud Barnesium, in cuius usum eos primus contulit Thomas Hearne. Qui vir doctus quum ex notis Barnesii mihi videretur multa negligentius tractavisse parvique aestimasse, quae nos magni facimus, ego per virum Ill. Carolum Badham impetravi, ut denuo collatio institueretur, quae facta diligentissime est ab J. D. Iles V. D., qui simul rescripsit Barnesii culpam esse, quod multis locis dubitaretur, non Hearnii, cujus collationem servatam in bibl. Bodleiana satis accurate factam ipse vidisset. Nunc igitur cognovi plus septuaginta locis Barnesium vel tacendo vel dicendo falsa de his libris tradidisse, interdum eo consilio, ut auctoritatem coniecturis suis tribueret.

z Oxoniensis Barnesii *B*, inter Baroccianos L, membranaceus, collatus ab eodem Hearnio, fortasse non melius tractatus, sed ab illis tantum quantum aera lupinis distans neque dignus, qui iterum excutiatur.

y membranacei duo *α* et *β* ex libris Thomae Coke Armigeri, qui eorum copiam fecit Maittairio. Is diligentissime eos descripsit contulitque simul cum fragmento codicis littera *γ* notati, in quo insunt vv. 31—153.

d princeps hujus carminis editio Venet. 1486, quam pro codice habendam supra dixi.

a Vindobonenses num. 293 et 241, quorum lectiones accurate enotavit Alterus in editione Homeri Odysseae Vind. 1794. Tertius qui accedit apud eundem num. 289, plane descriptus est ex Oxoniensi *y*.

x Florentinus typis eleganter expressus a Fontanio Flor. et Lips. 1804, cum metaphrasi interlineari, quae dicitur esse Theodori Gazae.

g Lipsiensis nunc signatus num. 1275, quo usus est Ernestius, qui neque constanter neque satis diligenter scripturam indicavit. Quare quum a Theod. Moebio V. Cl. per litteras petiissem, ut codicem certis quibusdam locis inspiceret, is non solum de iis benigne certiorem me fecit, sed auctor etiam fuit, ut Rudolphus Hercher V. Cl. collationem huius codicis

ab ipso olim factam summa cum diligentia liberalitate singulari ad me transmitteret. Quibus viris doctissimis meritas ago gratias.

f Vratislaviensis, ex quo nonnulla iam excerpsit Lessingius in Opp. ed. Lachm. Vol. XI. p. 689 sq.; postea contulit eum Jacobsius in usum Matthiaei, qui quam negligens fuerit, complures loci aperte declarant.

t Parisinus 2723 Bachmanni opera excussus in Anecd. Graec. Vol. II. p. 417 sqq.

u Parisinus 2707, cuius lectiones exscriptas a Theod. Presselio V. D. ea qua solet benevolentia Schneidewinus mecum communicavit.

m Editio Florentina 1488, ex qua nata est vulgata lectio.

h Lycii scriptura, notula apposita (*h**), ubi ex codice Camerarii eam fluxisse verisimile est.

i Fragmentum Stephani in edit. 1566 aliquoties citatum.

k Codex vetus Paulinus Barnesii, de quo nihil aliunde notum.

l Monacensis inter Graecos apud Hardtium num. 111, quem benevolentissime in usum meum contulit Carolus Halm V. Ill.

Praeterea annotandum est, maiorem multo esse numerum eorum codicum, qui excussi ad hoc tempus non sunt; perhibentur enim Parisiis esse tredecim latentque in bibliothecis Italiae et Hispaniae certe plus viginti, quos singulos indicare nihil attinet. Neque enim auxilium ex horum uno vel altero ut afferatur, exspectandum puto; id quod ex iis, quae de origine codicum disputabo, elucebit.

Glossae interlineares compluribus codicibus ascriptae ne quem spe melioris textus eliciendi morentur, a Graeculis seculi XV scriptae sunt; intercurrunt enim saepius voces barbarae et ab usu antiquioris linguae alienae; v. Scholia apud Maittairium eiusdemque indicem vocum barbararum p. 173 sqq. Illud tantum ex iis potissimum constat, codices nostros ex aetate atque ex regno Byzantinorum esse oriundos. Aliae vetustiores glossae, quae hic illic afferuntur, plerumque consentiunt cum interpretatione Hesychii; sed ne ex iis quidem utilitatis quidquam capi potest.

Neque plus praestat critico Demetrii Zeni versio Graecobarbara anno 1534 scripta (primum edita in Crusii Turcograecia, deinde apud Ilgenium, nuper separatim expressa est a Mullachio Berol. 1837); is enim, quantum licet cognoscere ex dilatato plerumque verborum ambitu, codicem habuit nulla in re nostris praestantiorem; saepe sequitur vulgatam, saepius deteriores, ex quorum numero eum quo usus est librum fuisse mihi constat.

Denique de commentario quodam Eustathii fabella narratur ap. Fabric. Bibl. Gr. I. p. 292: „Dicitur praeterea Batr. commentario illustrasse, qui visus tamen hactenus non est, et in-

certa fide refertur a Gesnero in bibliotheca [Hist. Quadruped. I. p. 759] et a Nicolao Maiorano in praefatione ad Eustathium.“ Sed hi, quos inspexi, *dicitur* illud repetunt neque quidquam certi sciunt, quare totam rem vanam iudico, praesertim quum Eustathius ipse in Iliad. p. 4, 46 sic scribat: *εἰ δὲ ἕτερα ποιήματά εἰσιν Ὁμήρου, οἷον καὶ ὁ Μαργίτης καὶ ἡ τῶν μυῶν καὶ βατράχων μάχη, ἄλλοι καὶ αὐτὸ ἐξήτασαν πρὸς ἀκρίβειαν.* — Maior fides habenda videtur Millero, qui in Codd. Bibl. Matrit. p. 330 n. 41 affert codicem huius carminis, in quo adiecta dicit scholia Moschopuli; quamquam ne hic quidem ab erroris suspicione plane abhorret.

Iam igitur quum codices isti, quos enumeravi, ad textum huius carminis constituendum primarii fontes habendi sint, quaeritur, quomodo iis sit utendum. Neque enim ita nobis fortuna arrisit, ut codices superessent hic illic tantum levi librariorum lapsu corrupti paucisque locis lectione discrepantes, ceteroquin sani; sed tanta est eorum diversitas, quanta vix in ullo alio carmine Graeco reperiatur. Res igitur eo redit, ut inter dissentientes iudicium sit faciendum. Atque ego in factitanda critica unam omnium rectissimam video esse viam, eam quam quum plerique nunc in antiquis scriptoribus recensendis probent, tum praeter alios Madvigius potissimum mihi monstravit explicavitque in editione Ciceronis librorum de Finibus, post eumque Lachmannus in Lucretio emendando ingressus est, quos ego viros egregios duces unicos ita sum secutus, ut eorum rationem disciplinamque ad huius carminis singularitatem accommodarem.

Primum igitur, ut iudicium de codicum fide recte fieri possit, necesse est distinguatur, et unde et a quo quisque liber sit confectus, bonumne ac diligentem an negligentem nactus sit librarium, intelligentem an rudem, fidelem an petulantem. Tum vero ne frequentia codicum nos perturbet magis quam adiuvet, constituendae sunt familiae atque ordines librorum vel plane vel plurimis in rebus ita consentientium, ut ab eodem vel patre vel avo vel proavo eos esse ortos perspiciatur. Quae ratio distribuendi eum habet utilissimum fructum, ut res ad libros quam paucissimos redigatur. Namque in consensu plurium librorum facilius iudicatur, qui sit merus error, quae correctio aut interpolatio, maximeque quid scriptum fuerit in illo codice, ex quo hi libri originem duxerint; quod quum erit exploratum, ad antiquiora tempora revocabimur. Ita collata denique scriptura eorum codicum, qui nostrorum proavi merito sunt nuncupandi, postremo ad unum illum convertimur, ex quo hi ipsi vel uno vel pluribus gradibus distantes originem repetierunt, quem archetypum vocant, sive is ipsius poetae fuit, sive ex illius exemplari quolibet intermisso tempore derivatus.

Haec autem, quam adumbravi, ratio quum ita simplex facilisque esse videatur, ut nihil magis, tamen in hoc quod tra-

ctandum est carmine magnas suas atque proprias habet difficultates. Etenim codicum familiae non tam facili negotio discerni possunt, ut complures libri per omnem carminis quasi tenorem constanti lectionum graviorum consensu ex eodem fonte haustos se ostendant; sed nulla certa lege inter se plerique distare videntur. Quapropter factum est, ut id solum praestare possem, duas esse familias toto genere ita diversas, ut altera interpolata vel deterior, altera integra vel melior appellanda esset. Alterum genus ortum habere verisimile est ex codice bono accurateque scripto, alterum e mendoso corruptoque, indeque nata est ea diversitas, ut melius non illud quidem vacuum a mendis etiam gravioribus esset, sed correctoris manu minus tactum; deterius contra in speciem expolitum compluribusque locis emendatum inveniretur, sed foede interpolatum speciosisque refertum conjecturis. Primo igitur loco de interpolatis agam, deinde de melioribus, inter quos duo ita eminere videntur fide scripturae, ut, quamquam ne hi quidem nonnullis locis suspicione carent, quia non exstant meliores, a ceterorum grege secernendos eos optimosque ut inter minus bonos censeam habendos. Ceteros enim meliores si et cum hoc pari et cum peioribus contuleris, facile in eam suspicionem adducaris, ut mixtos eos ex utroque genere dicas. Ita enim hi libri sunt comparati, ut quum ex integro fonte primam originem duxerint, postea codice deteriori adhibito paucis locis sint emendati, plurimis corrupti. Haec res, quae magnam saepe (fateor enim) difficultatem mihi creavit, priusquam qualis esset perspexi, non in hoc solum carmine cernitur, sed iampridem eadem observata est a Car. Frid. Hermanno in Iuvenalis codicibus, in libris de Finibus, aliis.

Hac ratione distributis codicum generibus si, quae a familiis peccata sunt, removerimus, archetypi libri scriptura veniet in disceptationem; de qua re magnae saepe exsistunt dubitationes. Praecavendum est autem iam hoc loco, ne quis exspectet magnas me intricatasque difficultates soluturum (cui rei longe me imparem sentio); hoc unum et volui et consecutum me aliqua ex parte spero, ut tenebrae, quibus pressa tenentur poetae verba, non tam luce affusa subito dispergantur, quam detegantur clareque cognoscantur. Prius enim rescindenda sunt vulnera male sarta, quam obliganda; augebuntur difficultates potius quam minuentur, carmenque ex codicum fide a me constitutum etiamtum emendatorem et ingenio me feliciorem et instructiorem doctrina desiderabit. Interea id agam, ut totum carmen ea qua dixi ratione pertractetur, in qua re non ordinem versuum sequar, sed quem ipsa quaestio praecipit, ita quidem, ut distributis lectionum generibus similia cum similibus collata inter se tueantur pluraque sub unum conspectum posita vim argumentandi augeant. Hoc adiicio, editorum me varias opiniones nus-

quam exposuisse, nisi ubi aut necessarium esset aut ipse eos probarem, quod non in contemptum eorum feci, sed eam ob causam, ne inutiliter longus essem.

§. 3. *De deteriori genere codicum.*

Ut igitur ad singula veniam, praemonendum est deteriores quos dixi libros, quanquam ex uno eodemque fonte haustos, tamen multis locis varie diversaque ratione interpolatos esse. Cuius rei causa in aperto posita est; nam in tanta corruptione, in qua fuisse librum archetypum omnia clamant, consentaneum est alium alio modo emendationi studuisse; interdum etiam ex compluribus glossis optio data est; saepissime autem nocuerunt ingenii lusus. Namque, ut hoc praeripiam, non illis solum locis, ubi vel obscuriora verba essent vel rei minus usitatae intellectus stuporem hominum semidoctorum effugeret, glossemata inferserunt, sed saepissime etiam ubi nihil offendere posset, immutatum aliquid invenimus. Moris autem fuisse constat apud Byzantinos (unde codices nostros repetitos esse dixi), ut in scholis discipuli ingenii exercendi causa in verbis eius qui tractabatur scriptoris iuberentur mutare atque variare, idem aliis verbis includere et dilatare arte quadam rhetorica. Quae res quum aliis multis veterum libris, tum huic praecipue obfuit carmini. Hinc innumerae paene varietates interdum satis ingeniosae in his libris, quos notavi litteris *l t u x y z*, quos conscriptos fere in eum finem credas, ut pro veteribus atque emendatis venditarentur. Ac prorsus quidem singularis liber est *z*, pulcra teste Maittairio antiqua manu exaratus, vacuus ut videtur ab erroribus calami, sed ad quem recte existimandum satis est scire, eum triginta fere locis diversam a ceteris omnibus exhibere lectionem mera coniectura natam. Fuit certe qui hunc librum scripsit vir doctissimus et Graecarum litterarum peritissimus, qui quum codice uteretur corrupto, ex quo omnes deteriores credibile est fluxisse, ingenio sane subtili succurrere poetae ausus est, recensuitque potius quam descripsit carmen. Utrumque hoc optime intelligitur iis locis, ubi in numeris laesum esse aliquid visum ei est, velut v. 128, ubi pro *ἐποίησαν* apud Atticos corripi antepenultimam ignorans substituit *ἐφόρησαν*, vocem etiam Homero usitatam de armis, sed in hac sententiarum serie ineptissimam. Eodem loco Barnesii quoque coniectura *ἐπόνησαν* repudianda est, quum et *ποιεῖν* vocabulo fides accedat usu Homerico in fabrica scuti Achillei, neque ulla sit causa, cur vestigia illa posterioris aetatis ex hoc carmine tam diligenter expungamus, quibus quid efficiatur, postea inquirendum est. Eadem emendandi ratio in *z* cernitur v. 198, ubi quum ceteri exhibeant *τῇ δ' αὖτ' ἐπεπείθοντο θεοὶ ἄλλοι* (cf. Hom. *β*, 103), ex *z* profertur *καὶ τῇγε θεοὶ ἐπεπείθοντ' ἄλλοι* numeris claudicantibus; facilior sane esset mutatio cod. *t ἐπεπείθοντ' οἱ*

θεοὶ ἄλλοι, qui liber etiamsi fidem haberet, tamen nihil esset tentandum in vulgari lectione, quia productio brevis syllabae in hac versus sede satis confirmata est exemplis Homericis (v. Spitzner. vers. heroic. p. 14 sqq.). At librarius z vocem αὖτε expulit, ut ingerere eam posset in sq. v. πάντες δ' αὖτ' εἰςῆλθον, ubi verum servavit *f* (cf. *δ*, 448), ceteri omnes δὲ tertio loco positum non ferentes, quanquam πάντες ὁμῶς arcte cohaerent (cf. *P*, 422. *O*, 98. *Θ*, 542. *δ*, 775), alius in aliam mutationem inciderunt. Sed de toto genere, quod ad metricam attinet, postea explicabo; cavendum autem est, ne nimia fortasse librario quamvis erudito tribuatur subtilitas statuendo eum v. 240 scripsisse ἔπληξε pro ἔχρισε, quia teste Papio in lex. (minus recte Spitznerus in Instt. Pros. Gr. § 52, 2) media huius vocis in aoristo corripi solet; nervosum potius vocabulum pro debiliori reponendum esse censuit. Ludicra putanda sunt, non coniecturae v. 81 οὐχὶ νοήσας pro οὔτι *), 5 πάντα pro πᾶσι, 91 πλεῖον (quia inter duo esset comparatio); 15 pro ἄξιον habet ἄριστον contra metrum, unde neque ἄρσιον neque ἄρθμιον extorquendum cum Barnesio, sed ἄξιον ad ἄξω sequens relatum lusum verborum ostendit licet satis languidum; 25 τὸ δ' ἄσημον ἅπασιν omisso v. 26. Corruptela codicis eius quo utebatur in causa erat, quod v. 58 scripsit πολλὰ καὶ, ubi etiam *t* praebet γὰρ, quod utrumque oriri potuit facillime ex ductibus vocis μάλ'. Sed 57 asyndeton nescio qua motus morositate ferre noluit, sed scripsit ἔστι δὲ χ' ἡμῖν. Ad v. 88 (id est ad 76 in illo codice) fortasse aberraverat, quum 69 dedit πολλὰ δ' ἐβώστρει, quod intellectum non habet; merus error videtur verborum collocatio v. 92. Cur 10 λιχνὸν παρέθηκε γένειον scripserit, causa non adest, neque cum Barnesio de imitatione huius loci apud Callim. fg. 119 ἐπ' ὄμματα λιχνὰ βαλόντες cogitandum, quod contra fortasse factum est in hoc codice; ingenio enim indulgebat homo versutus, qui 173 τερπόμενοι plane lusit ex 176, qui audaciora etiam tentavit 264 sq., ubi totum versum intulit, aliisque locis postea tractandis 274, 279, 280, 210—220, quo extremo loco summa imis miscuit. Ejusdem farinae sunt versiculi duo pro varia lectione ascripti recentiori manu versibus 114. 115, in quibus metro astringendis Th. Hearne operam perdidit. — Sed rebus etiam consulit, non verbis solum, neque patitur poetam a se ipso dissentire. Hoc studio quum recepisset post 100 spuria verba καί ῥα κραιπνότατος μοίρας μυσὶν ἄγγελος ἦλθε, sequentem scite omisit; 236 scripsit ἑτάρου πέρι τεθνειῶτος singulari numero, quia ad

*) Hoc vocabulum οὐχὶ fortasse etiam ex Homero relegandum est; nam *π*, 279 recentiores οὔτι recte scripserunt, ut uno etiam versu *O*, 716 (qui redit *Π*, 762) legatur, ubi Zenodotus οὐκ ἐμεθίει conjecit; ego malim οὔτι μεθίει. Altera forma οὐχὶ semper versum simul et sententiam claudit.

proximum tantum versum rem rettulit; sed ceteros omnes locos, ubi in hoc codice singularia exhibentur, aptius ad sequentia differemus.

Ad hunc librum proxime accedit is quem notavi *y*, qui et ipse plus viginti locis suam prae se fert scripturam, quam coniectura natam esse primum aperte loquuntur ii loci, ubi cognati ostendunt aliquid corruptum fuisse in libris antiquioribus, ut in 115. 167. 176, omnium maxime 210 sqq., quos deinde videbimus. Sententiam non recte accepit 276, quum scriberet *κρατερώ περ ἐόντε*; nimiaque argutia 75 propter sequens imperfectum *ἐβάσταζε* invito dedit metro. Attica eum offendit structura verborum 149 *νήξεις τὰς βατράχων*, ubi maluit *τῶν*. Solemni multorum errore 196 correxit *ἐγχέμαχοι*, neque minus erravit 287 pluralem *πρῶτα* in una re ferri non posse ratus. Meram glossematum vim habent hae lectiones: 103 *ἐπ' ὄρθρον*, 243 *κατὰ γούνατα*, 251 *εἴπως*; vitiorum similes sunt 197 *ἐπεποίθοντο*, 59 *δῶκε*, 12 *ἔπος τ' ἐφθέγξατο*, 151 *μῦς*. Recte videri possit coniecisse 298 *ὁρόωντες*, quia *ἐσορᾶν* nusquam quod sciam obiecto careat; sed et ellipseos genus hoc est pervulgatum, ut *ἐμβλέπω* Xen. Mem. 3, 10, 11 et codicum ceterorum consensui obsequendum est in eo carmine, ubi non pauca inusitata atque rara inveniuntur.

Sed antequam ab hoc codice discedamus, cuius plurimas lectiones infra, ubi res feret, tractabimus, commemorandum est, quod supra indicavi, prorsus cum eo consentire Vind. 289, ita quidem, ut minima quaeque accuratissime imitetur, praecipue ubi singularis exhibetur scriptura, locis vix viginti exceptis, ubi aut apertus error est calami, aut Alterum non satis accurate rettulisse suspicor, id quod cadit in hos locos: 66. 110. 139. 291. Mirabilis autem iste consensus nulla alia re explicari potest, nisi si Vindobonensem ex illo ipso descriptum esse statuimus, quam rem adiuvant et temporum rationes, quum ille natus esse dicatur sec. XV, hic sec. XII, et quod uterque codex Byzantio est oriundus (v. praef. Maitt. et Alteri). Quidquid autem rei est, certe hi duo codices gemelli pro uno erunt habendi. — Eodem autem loco ponendum esse postea cognovi codicem *l*, qui nunquam fere ab *y* discedit multisque locis ita cum eo conspirat, ut in levissimis vitiis eum sequatur (cf. 59. 61. 64. 75. 77. 91. 111. 115. 120. 149. 154. 174). Quamobrem quum haec iam magna ex parte scripta essent, opus non esse duxi, ut cuique loco huius codicis signum ascriberem. — Quartus denique qui his aggregandus est, Ienensis liber est a Goettlingio commemoratus ad Theodosii Grammat. p. 244 (quem locum debeo Herchero), cujus subscriptio haec: *ἡ κρυερὴ μυοβατραχομαχίη τέλος ἔσχεν* quia iam indicabat ex eadem qua illos officina codicem prodiisse, a Frid. Hauckio litterarum studioso petivi, ut particulam aliquam codicis conferret. Quod quum

ille studiosissime fecisset, cognovi librum nulla in re codice *y* superiorem, simul etiam mutilatum, ut accuratae narrationis labore supersedere posse mihi videar.

De reliquorum codicum deteriorum proprietatibus brevius iam poterit absolvi. Nam quum illi de quibus disserui libri a viris doctis essent scripti, qui menda hic illic removebant, corrupta saepe sanare studebant, multis locis corrigebant, raro per negligentiam errores admittebant, contra alii sunt codices creberrimis vitiis referti, ut ab indoctissimis simul et negligentissimis hominibus eos confectos esse luce sit clarius. Inter quos *x*, qui arcte tangit *y*, quodammodo eminere videtur, quippe qui versus ipse fingat (post 213. *Τρωγλήτης δ' ἄρ' ἔπεφνε Βρεκαίκιστα ἐσθλὸν ἀίξας*) dignos illos auctore! Sed pauca quae de suo eum dedisse verisimile est, haec: 10 *πίνων παρέθηκε*, 114 *ἔκτοσθε λαβοῦσα*, 294 *αὐτὸς* pro *εὐθύς* (quod fortasse in *αὖθις* mutandum sententiae causa), ea non habent, quo se commendent. Igitur hic liber, cuius menda taedet enumerare (vide, si placet, 104. 169. 170. 187. 231. 259. 299), iis tantum rebus aestimandus est, quae cum ceteris huius familiae eiusdem originis eum esse ostendunt. De metaphrasi autem, qua interlineari illustratur codex, ita censeo perpensis diligenter rationibus, eam sive a Theod. Gazza, sive ab alio quolibet factam adhibito fortasse etiam alio libro esse, qui tamen non supra nostrorum originem ascenderet. Maximam enim partem secutus est interpres ipsum codicem *x*, cujus etiam lectiones singulares et vitia apertissima expressit, ut v. 1. 77. 141. 170. 187. 211 sqq.; non multis locis, ubi dissentit, cum aliis nostrorum codicum facit, maxime cum *y*: 95. 104. 115. 120. 127. 165. 291; nusquam suam admisit lectionem.

Idem fere, quod de codice *x*, memorandum est de eo, quem signavi *t*, qui quam non accurate sit exaratus, ex his versibus per negligentiam omissis licet videre: 69. 116. 209. 236. 237. 261. 286 sq. 293. Scatet vero ita aliis mendis, ut quae pauca solus propria habeat, ea ipsa corruptione et casu orta esse videantur: 24 *τὸν δὲ Ψιχάρπαξ*, 223 *πορφυρεῶς*, 276 *κρατεροίπερ ἐόντες*, 285 *ψολόεντι κεραυνῷ*, quod quanquam usu tueratur (v. Hesiod. fg. 49 Goettl.), codicum tamen auctoritate reiicitur.

Restat ex hoc codicum genere *u*, qui aemulatur cum antecedenti vitiis gravissimis (v. 25. 49. 50. 130. 143. 161 al.), etiam metro non ferente (v. 24. 39. 101. 170. 182), versibus ac vocibus omissis (v. 33. 224. 228. 280), aut confusis, ut 253. Ad ea, quae ex antiquioribus libris tradita erant, nihil fere addidit, nisi quod interdum glossemata simul cum vera lectione in verba sua recepit, ut 93 *οὐ λήσεις δολίως θεούς*, 138 *εἶπέ τε τοιάδε*, 69 *δάκρυα λεῖα* (voluit *λείβων*). Quae scripta habet 111 *οἷς μοῖρα κακή* et 204 *πρῶτον* (ad quem vs. cf. Hom. *Δ*, 457), nihil

refert, coniectura an errore nata sint. Memoriae lapsus putandus est 292 *γένος βατράχων ἀγερώχων*; lusit 304 *πανημέριος ἐτελέσθη*.

Quoniam autem de propriis cuiusque codicis lectionibus disputavi, nunc de iis, in quibus vel pars vel omnes deteriores inter se conspirant ceteris adversantibus, pauca dicenda sunt. Omne autem hoc genus maxime ad interpolationem pertinere facilius affirmari potest, quam quo modo ita factum sit, probabili ratione explicari. Grassata enim sine dubio ita coniectandi libido est, ut unum exemplar ex aliis pluribus quaecunque luberent exciperet. Ita v. 38 *x y z* habent *οὐδὲ τυρὸς* invito metro; non minus versum perdiderunt *u x* scribendo 94 *ἐς λίμνην με ῥίψας* (pro voce *ναυηγὸν*), quae verba aperte ex glossa interlineari in textum se insinuarunt; 152 *t y z* legunt *νῦν γὰρ* pro *τοίγαρ* immemores usus Homerici, de quo cf. *A*, 76, *ψ*, 130; itemque 242 *x u z (y)* praebent *κείμενον ἐν γαίῃ* pro *ἐν πεδίῳ*, quod sustinetur Homeri *H*, 265; illi scilicet *πεδίον* nomen ab hujus pugnae locis abhorrere putabant. Similem causam fuisse suspicor, ut 238 *u y* scriberent *ἦτορ δ' ἔκτοσθε βεβήκει*, ne in Orcum descendisse rana videretur. Confusio litterarum fuisse videtur 160, ubi *t u x z συνέπεισε* pro *ἀνέπεισε*, de quibus voculis saepius commutatis Matthiaeus videre iubet Schaeferi notam ad Hymn. Ven. 32. Sed totus versus 160 diverse scribitur in *m y* (quod sequitur contra codicem suum Lycius): *ὣς ἄρα φωνήσας ὅπλοις ἐνέδυσεν* (*κατέδησεν y*) *ἅπαντας*, quam lectionem ad variandam dictionem neu recurrat v. 122, inventam esse vidit etiam Bernhardyus (in Hist. Litt. Gr. II p. 132, ubi nonnulla de lectionibus huius carminis indicavit). — Imprimis autem conspicuus consensus est inter *x* et *y*; 95 uterque dat *οὐ γάρ μου* sive ex errore sive ex glossa, ut sententiarum nexus apertior fiat, pro vulgari quod recte se habet *οὐκ ἄν μου κατὰ γαῖαν ἀμείνων ἦσθα*; sequenti autem versu *ἀπατήσας* manifesta explanatio est vocis paullo rarioris *πλανήσας*. Mera hariolatio deprehenditur v. 1 *πρώτως*, ubi cavere voluisse videntur, ne *πρῶτον* ad *χορὸν* referretur; sed illa forma adverbii apud philosophos demum invaluit, Lob. Phryn. p. 311; ceterum de notione ordiendi dupliciter cum vi expressa (*ἀρχόμενος πρῶτον*) cf. Thuc. I, 103 *ἤρξατο πρῶτον* et Livii praef. extr. *initium tantae ordiendae rei*; complures similitudines attulit Naegelsbachius Lat. Stilist. §. 40, 1. Quid *βάθος* 226 in his codd. pro *φόβον* scriptum sibi velit, non perspicio.

Interponendum hoc loco videtur, quod supra indicavi, editionem Florentinam *(m)* originem duxisse ex huius generis aliquo codice; multis enim locis eius lectiones hoc vel illo deteriorum adjuvantur. Quo factum potissimum est, ut nostrae editiones saepe male huic codicum stirpi faveant. Ut v. 35 etiam nunc legitur secundum *x y z m τριςκοπάνιστος*, quum et meliores

habeant δειχοπάνιστος (quo etiam spectat nonnullorum δυσχοπ., quod idem est in Etym. Magn. p. 150, ubi hic versus laudatur), neque causa adsit, cur in re non ita perspecta deteriorum potius codicum arbitrio obsequamur. Nam de hoc genere *panis e farina ter pista confecti* (sic Ilgenius) aliunde dubito an constet; ceterum cf. Hermanni Antiq. priv. §. 24. — Item 138 εἶπέ τε μῦθον perhibetur exstare in iisdem libris; ceteri τοῖα tenent (nonnulli assutis glossematis, τοιάδε *u*, τοιάδε τοῖσδε *i*), neque hoc ex v. 109 corrigendum, quia insolentius dictum videatur. — V. 54 οὐ τεύτλοις ex *m z* retinuerunt fere omnes editorcs; sed ea iniusta est repulsa vocis πράσσοις ceteris codicibus confirmatae, nisi quod plerique contra metrum οὐδὲ πράσσοις fortasse ex ipso archetypo. — Conspirant quoque *m* et *z* in v. 82 ἀπολλύμεναι κατὰ λίμνην, quod invectum videtur errore calami orto ex pronunciatione nova verborum ἀπολλύμενον καταλείπειν, neque ferendum propter sequentem versum; eadem res locum habet in lectione intoleranda v. 188 πρῶτον pro πρώην. — Hariolatio apparet 112 εἰμὶ δ' ἐγὼ δύστηνος, quod pro vulgari εἰμὶ δὲ νῦν ἐλεεινὸς ex 105 traxerunt. — Sententia ipsa displicuit iis, qui 237 scripserunt κατὰ νηδύος εἰς μέσον ἦπαρ desumptum ex 205; nempe quia Prassaeus ante pedes Psicharpagis cecidit (πῖπτε δὲ οἱ πρόσθεν), recipere noluerunt illud μήπω γαίης ἐπιβάντα; sed dubitationes id genus postmodo erunt attingendae. — Porro 293 ἐλέησας est interpretatio vocis ᾤκτειρε; sed in antecedenti versu ἵετο peiorum codicum importunam emendationem habet archetypi, in quo si forte ita fuit ἔπ̂ετο, ex hoc alius ἔπλετο, alii recte ἔλπετο effecerunt. Glossatoris autem opera manifesto deprehenditur 274, ubi *u x y m* contra metri rationem ἐναίρειν βατράχους βλεμεαίνει, quod et Lycius exscripsit hodieque manet in editionibus, quum in ceteris praeter *z*, qui suam sibi finxit lectionem, ita sit scriptum Μεριδάρπαξ, ὃς κατὰ λίμνην ἅρπαξ ἐν βατράχοισιν ἀμείβεται. Nemo librariorum videtur hoc intellexisse, neque est sane pervulgatum dicendi genus; sed in voce ἅρπαξ quia inest faceta originationis (μεριδῶν ἅρπαξ) significatio, ea vox stare debet; deinde quod ἀμείβεται in codd. glossas habet suprascriptas πορεύεται, διέρχεται (cf. Hom. *O*, 684 cum Schol. Ven.), sic accipiendus locus videtur: Meridarpax i. e. raptor portionis vel mensae apud lacum versatur ranarum factus raptor. Concedo frigidam esse sententiam, ut multa in hoc carmine; sed dubitari non potest, quin haec lectio restitui debeat. Neque enim βλεμεαίνω construitur cum infinitivo, ut sit idem quod μενεαίνω quae est sententia Papii; occurrit ea vox tantum bis, *Θ*, 337 *M*, 42. — Nonnullas etiam scripturas, quas solus *y* cum *m* communicat, nondum editores expulerunt, ut 136 σκῆπτρον, pro quo ceteri ῥάβδον, quod illi vilius duxerunt possitque esse glossa; sed non est, cur codices

tot locis fraudis convictos ceteris anteponamus. Manifesta res est 176, ubi in reliquis omnibus legitur καὶ ἐδέσμιασι παντοδαποῖσιν, solus *y* ex interpretatione fortasse suprascripta dedit καὶ θυσιάων ἐδέσμασιν; ex quo *m* effecit ἐδέσμιασιν ἐκ θυσιάων. Poterat sane poeta sic scribere; sed illud et collatis vss. 31. 41 commendatur neque necessaria est sacrificiorum significatio utpote per se intellecta. — Accedit simili interpolationi *x* v. 25 ζητεῖς, φίλε; δῆλον ἅπασιν; sed illa compellatio φίλε non ferenda propter v. 32; nisi igitur ceteros sequi placeat scribendo ζητεῖς; δῆλον δ' ἐν ἅπασιν, de lacuna codicis antiquissimi (quam saepius esse statuendam infra demonstrabo) est cogitandum diverso modo expleta: et quum praesertim δῆλος apud Atticos cum dativo iungatur, haud repudianda est coniectura Frankii ζητεῖς; τὸ δὲ δῆλον ἅπασιν. — Cur autem 131 *mxy* scripserint ἐπὶ κροτάφοισι καρύου pereunte versu, quum ceteri ἐρεβίνθου, causa in eo videtur posita, quod λέπυρον καρύου, quia durius est, magis convenire putabant galeis, quam ἐρεβίνθου; sed quis talia hic quaerat? Aperta est interpolatio 153 ἔνοπλοι στῶμεν pro vulgari σώματα κοσμήσαντες ἐν ὅπλοις στῶμεν; nam coniungenda sunt verba κοσμήσαντες ἐν ὅπλοις, quod versu 121 ostenditur. — Magis dubia res videri potest v. 293, ubi *x* ὅστις τειρομένοισιν, *luy* ὅστις φθειρομένοισιν habent, reliqui ὅς ῥα τότ' ἐν βατράχοισιν. Vulgaris lectio displicuit librariis elegantioribus, quia βατράχους etiam in antecedenti versu poeta posuit; sed ne nimium fastidiosi simus, multa in hoc carmine nos admonent, simulque participium nude positum aliquam offensionem habet. — V. 78 vox ἀμπετάσας in *tw* cessit interpretationi ἁπλώσας, sicut etiam v. 223 in *y* ad ἐξετανύσθη ascripta est glossa ἁπλούσθη; in *lmxyz* quod legitur ὑψώσας, non magis verum esse potest, quamquam in omnes editiones insinuavit; ἀμπετάσας autem ex ranarum natura petitum apte in hunc locum cadit. — Sed antecedenti versu ὡς ἔμι' ἐπιπλώσας iustiorem, opinor, dedit causam mutandi; semper enim apud Homerum (*Γ*, 47. *Z*, 291 al.) et alibi transitive usurpatur; fortasse igitur hic locus medicina eget. Sed tamen lectio *z* ὡς μιν ἁπλώσας docet vocem ἐπινώτιον ab interpolatore male pro substantivo esse acceptam. — Illi autem codices locis postea tractandis 80. 157. 232. 239. 243. 249 quantum sibi licentiae permiserint, facile apparebit. Auctoritate sola vincitur discrepantia v. 141 ὃν κατέπεφνεν, quod errori sine dubio tribuendum, et 85, ubi Frankiana lectio est malorum codicum, bonorum haec: καὶ χεῖρας ἔσφιγγε καὶ ὀλλύμενος κατέτρυζε; de syllaba ultima ας producta vide Herm. Orph. p. 707, Spitzner. vers. her. p. 36.

Subiungendus hic denique esset codex Lycii (*h**), qui non multum distare videtur ab hoc genere, si plura de eo certo

constarent. Nunc autem, quia alia in *g* quoque insunt, alia coniecturae habent suspicionem, de his dicere mittam, si usus venerit, de eo commemoraturus.

§. 4. *De genere codicum mixto.*

Relictis igitur illorum codicum facatis sordibus ad id genus, quod mixtorum esse dixi, aggrediamur, de quo in universum perbrevis est disputatio. Nam hi codices numero plurimi modo gregatim faciunt cum optimis, modo interpolatos sequuntur, modo ipsi inter se distrahuntur. Pauca tantum habent ab ipsorum librariis invecta pendetque diversitas scripturae maxumam partem a conditione libri archetypi; vitia vero describendi negligentia multifariam sunt aucta. Numerantur autem codices hi litteris notati *a b c d e f g i k.*

Et proxime quidem ab interpolatorum genere abest *f*, quem iam Heynius dicit (praef. ad Iliad. Tom. III. p. 87) ita scatere mendis quavis pagina, ut ne Matthiaei quidem incuria nobis incommoda esse possit; descriptus enim videtur ab homine indoctissimo, qui saepe monstra vocabulorum pinxit (53. 57. 104. 116. 120. 138. 141. 161. 163. 188 al.), mensuras verborum plane ignoravit (20. 34. 39. 63. 96. 109 al.), versum omisit negligentia 244. Glossa irrepsit in verba poetae 32, ubi metro neglecto ξεῖνον pro vero habuit addito φίλον, quod contra debuit; neque enim ita legendum, ut ipse olim censueram πῶς ξεῖνον δὲ ποιῇ με. Quod vero eodem versu simul cum *z* habet ποιεῖς, vix cuiquam arridebit, quum usu Atticorum constanti medium in talibus locutionibus requiratur. Lusus est 24 ὁ δ' αὖ pro τὸν δ' αὖ, et 113 ἀποέκτανεν (quod vix fert metrum) pro vulgari κατέκτανεν. — Sed hi errores quum ipsius codicis librario sint imputandi, alii latius patere videntur. Praecipue cum *u* communicat non solum lapsus calami, ut 33 ἐστιν in utroque omittitur, 42 οὐδέποτε πολέμου contra versus modum, 178 οὐκ ἄν ποτ' pro πώποτε, sed etiam glossemata: 12 πολύφωνος pro πολύφημος, quod vocabulum (in quo inest lepida significatio) Hesychius interpretatur πολύφωνον, ἐπιθετικῶς, eodemque modo ed. Ven. πολλὰς φωνὰς ἔχων, unde nata est correctio. V. 51 πλεῖστον δὲ pro δὴ inconsiderate recepit Bothius, non memor usus Homerici δὴ superlativis addendi, de quo v. Nägelsb. Annott. ad Il. *A*, 266. V. 102 τὸν μόρον pro τὴν μοῖραν, ubi versus laesus est index glossatoris. Scriptura in v. 143 εἴ τινες pro οἵτινες orta ex recentioris linguae pronunciatione (quem vocant itacismum), ferri nequit propter totius sententiae conformationem. Correctionem sapit etiam 84 ἐς ὕδωρ *x f*, quum satis esset murem, qui supra aquam in ranae tergo consederat, ἐφ' ὕδωρ facere decidentem, quod Latine dici accurate non potest.

Sequitur ordine, id est minime pretio distat reliquorum.

omnium is, quem notavi *e*, vitiorum nube illo vel superior, qui summa cum levitate exaratus in nullo paene versu non peccat, ita ut nullum fere ad textum huius carminis constituendum afferat auxilium. Neque enim quod quispiam suspicetur, in corruptis ductibus latent veteres quaedam et exquisitae lectiones; sed medium fere tenet neque vestigium est, quo propius eum attigisse archetypum concludatur. Ubi ipse aliquid audet, aut nodum in scirpo quaesivisse videtur, ut 13, ubi praebet ἦκες pro ἦλθες, fortasse invitus, aut emendatione parum probanda succurrere loco corrupto studet, ut 156 ὅταν σχεδὸν ἔλθωσ' ἐφ' ἡμᾶς. — Mira occurrit lectio 297 in *ef* ὀστροφυεῖς cum glossa φύσιν ἔχοντες ὀστρέων; sed huic ne cedat vulgata ὀστοφυεῖς, cavet schol. Ar. Lys. 963. — Quod 164 cum *tz* μακρὸς mutavit in μακρὸν, improbandum est, quia ad ὀξύσχοινος pertinere debet epitheton ad risum delectum, non ad ἔγχος, quae vox appositionis vice fungitur. Καμινῦσαι denique v. 191, quod fortasse praeter *yz* etiam hic tenet, non debet expellere alteram formam καταμινῦσαι; illa autem ex abusu seriorum scriptorum huc commigravit, v. Lob. Phryn. p. 339 sq. —

Multum ab his quos tractavi libris diligenti et admodum correcto scribendi genere absunt *bcd*, qui codices si exceperis pauca quaedam in *d* (quae est editio Veneta) a typotheta versus plerumque gratia emendata, tam constantem inter se consensum tuentur (vide levissimum errorem 29 Λειχιμύλη), ut non opus sit pluribus demonstrare. Optime scriptus est *b* ab homine Graecae linguae satis perito, qui interdum etiam ingenium ostendit; ut 59 totum versum solus novavit: ἀμφίβιον γὰρ ἔδωκε Ζεὺς βατράχοισι ζωήν. Hoc inde ortum est, quod quum in vera lectione supra vocem νομιὴν ascripta esset interpretatio ζωὴν, quae in ipsa verba recepta est in *tfu*, librarius metrum verborum transpositione fulciendum putavit. At ea ipsa interpretatio non accurata est; neque enim victum h. l. significat νομιή, sed recte Ilgenius, νομιὴ, inquit, *quod quis accipit in distributione, pars, portio, dos, a* νέμειν *distribuere; et* ἀμφίβιος νομιὴ *est dos ancipitis naturae.* — Displicuit illi nescio quid in 209 πῆξεν δ' ἐν στέρνῳ στιβαρὸν δόρυ (cf. Θ, 258), unde coniecit πεῖρε, quod eiusmodi structuram, quod sciam, non fert. — V. 133 cum *f* voluit ἐξανέδυσαν ἐφ' ὕδατος; sed reliqui optime ἀφ', quia ranae non solum in superficiem aquae emerserunt, verum in littus egressae dicuntur. — Quae causa fuerit v. 18 τιμῶμαι βατράχων ἡγούμενος ita mutandi ἐν βατράχοις, ubi socios habet *xy*, non facile dixerim.

Codicis *d* unam novi glossam singularem 192 ἐφώνησεν cadente versu pro ἐβόησεν; deest v. 120 casu quodam, ut videtur; ceterum hic pariter ut *c* nihil habet peculiare; corrupta plerumque emendare ausus non est, sed servat quamvis mendosam scripturam.

His prioribus accedit *g*, quem ex accuratissima Hercheri collatione cognovi inter meliores esse numerandum. Paucis exceptis mendis (25. 27. 41. 192), unum consilio, ut antea videbatur, versum omisit 31, sed Hercherus annotavit, additum eum esse in margine ab eadem manu signo apposito X. Coniecturam tamen fecit 37 τόμος ὁ 'κ πτέρνης, quod debuit esse οὐκ, sed nihil necesse est repeti articulum ut in poeta. Altero loco verum vidisse videtur, 114 τρώγλης ἔντοσθεν ἑλοῦσα, pro quo ceteri omnes ἔκτοσθεν; sed illud necessarium est, quia respicitur ad v. 42 ἢ καὶ τρωγλοδύοντα κατὰ τρώγλην ἐρεείνει; murem *in ipso cavo* captum esse memorabile erat; poterat sane et extra cavum; sed quid hoc dignum expositione? — Falso rursus 302 cum *h m (u)* scripsit οὐδ' ὑπέμειναν, quod iam propter antecedens ὑπέδεισαν male habet; verum οὐδ' ἐτ' ἔμειναν consensu tuentur reliqui. —

Restat, ut dicam de codice *a*, quem unum ex numero mixtorum paene excipiendum puto proxime illum accedentem ad integritatem librorum *A* et *G*. Scriptus est initio sec. XVI teste Altero, sed et exemplar et librarium nactus est optimum, qui errores antiquos fideliter transscripsit (etiam glossas marginales, ut 94 ἀπὸ νώτων ὥστ' ἀπὸ πέτρης et 56 ταῦτα δὲ μειδήσας, ubi rectum servavit in verborum serie, non ut alii expulit), vel repugnante metro, ut 119. 56. 71. 181. 279. Errores stili ducendi sunt 20 παρ' ὄχθαις correctum in margine manu prima; 35 ἐπ' εὐκύκλου, de qua lectione, quam veram putarunt, supra dixi. Non per se falsum est 34 οὔτι με λήθει, quod etiam in *z* legitur, sed eam ipsam ob causam affert suspicionem. In universum autem hunc codicem cum optimis *AG* conspirare, quod dixi, uno eoque luculentissimo exemplo ostenditur vv. 211 sqq., ubi gravissimum errorem imputo Altero, testanti versus hos

Ἀρτοφάγος Σευτλαῖον ἐνήρατο χωόμενος κῆρ,
Καὶ Πολύφωνον ἄνακτα, μέσην κατὰ γαστέρα τύψας,

a Barnesio fictos (ne Seutlaeus impune discederet) atque adeo a Wolfio in priore editione receptos revera in illo codice exstare.

Iniicienda etiam hoc loco videtur mentio codicis *i* vel potius fragmenti cuiusdam, cuius lectiones aliquot dedit H. Stephanus, in proelii narratione, ubi maxime a bonis codicibus dissentiebant editiones veteres, ad vv. 228. 232. 234. 237. 239. 243. 246. 247. 251. Atque his locis codex facit cum grege meliorum, neque tamen quidquam habet, ex quo pluris eum aestimandum esse iudicemus. — Accuratius cognoscere vellem *codicem veterem Paulinum* Barnesii *(k)* tribus tantum locis citatum; v. 195, ubi nihil interest; 233, ubi versum interpolatum habet Δούπησεν κτλ.; 135, in quo vere sine dubio scribit ἦ τίς ὅμιλος; — nam quod ceteri boni ὁ μῦθος, corruptum est; deteriores correxerunt ὁ θρύλλος —, sed idem quod ille, Lycius habet, cuius editionem Barnesius non noverat. Itaque co-

gitavi posse Camerarii codicem, ex quo illud fluxit, postea in Britanniam esse delatum ibique ex Paulina (Lipsiensi) bibliotheca nomen reminuisse; sed quis hoc affirmet, quum nihil aliud ex illo libro cognitum habeamus? In eandem igitur coniecturam duos librarios incidisse suspicandum est; quod non ita raro evenit. Sed cognita Barnesii temeritate nunc paene adducor, ut nunquam illum codicem exstitisse credam. Num idem liber, si modo sit, intelligi debeat ex Barnesii verbis subobscuris ad v. 137, ubi *Τυροφάγου* nomen recepit *ex Dem. Zeno et Mss. ad Cod. vet. Paul. suffragante*, non facile dixerim.

§. 5. *De codicibus optimis.*

Dicturo mihi de iis codicibus, qui optimi meo iudicio sunt habendi, paucis, quomodo hoc accipi velim, praemonendum est. Neque enim ita intelligo optimos, ut aut meliores exstare posse aut omnino opus esse melioribus negem (id quod longe abhorret a sententia mea); sed sunt optimi ut inter minus bonos, et quum corruptela laborent omnes, hi minus quam reliqui. Etenim distant hi codices ab illis, quos in numero mixtorum retuli, non tam genere ipso quam gradu integritatis, et quum mixti longiore intervallo a codice archetypo remoti diversum describendo et corrigendo ceperint detrimentum, codices *A* et *G*, quibus continetur genus optimorum, non solum proxime attigisse ad communem omnium librorum fontem verisimile est, sed etiam constanti fide veterem lectionem servasse. Factum autem inde est, ut, quum in mixto genere non perpetuo et quasi via ac ratione grassata sit interpolatio (id quod cadit in deteriores), sed casu magis hic illic peccatum sit glossaeque modo in textum receptae, modo spretae, prout intellectus esset scribentis, ut igitur nullo fere loco *AG* prorsus destituerentur vel unius vel plurium assensu tumque hos tum illos haberent socios.

Codices autem *A* et *G* inter se ita fere in rebus omnibus consentiunt, ita in locis corruptissimis diversissimeque traditis prope semper concierunt, ut non ex eodem fonte derivati esse non possint. Non pauci quidem sunt calami errores, praecipue in *A*, sed ii tamen omnes, quibus nihil tribuere possis (*A:* 16. 20. 21. 32. 33. 44. 80. 89. 91. 98. 106. 132. 143. 145. 166. 213. 238. 240. 254; in *G:* 29. 36. 74. 95. 114. 170. 178. 179. 216. 280). Atque ii quoque aliquo modo compensantur communi aliquot locorum errore: 50 *πέλει*, 63 *νώτοις*, 89 *πολλάκις*, 133 *ὃς δ' ἕνα*, 169 *τε* om., 189 *λίαν*, 243 *βάλλε*, 271 *τὰ χάρη*, 41 *τε χύτρας*. Aliae paucae diversitates in glossarum numero referendae sunt, in *A:* 37. 114. 271. 290; in *G:* 119; et ad duplicem codicis archetypi scripturam: 64. 156. 247. 301, de quibus locis infra dicetur. Unum versum *A* habet, quem *G* omisit, 123, haud dubie in archetypo nota quadam in suspicionem vocatum. —

Vincunt autem hi libri ceteros omnes bonaeque familiae iure principes possunt appellari primum, quod genus medium saepe iis vitiis laborat, quae non ex archetypo originem duxerunt. Ita v. 61 complures eorum habent κατὰ γαῖαφ καὶ ἐφ' ὕδασι, 173 pars καὶ προςέειπεν Ἀθήνην, 202 ἐσάλπιξαν, 209 vario modo πῆξε δὲ ἐν στέρνῳ, πείρε, alia; 234 περὶ τέων ἐόντων *b d e f*, 275 πέμπωμιεν *a b d e f g*, 299 μυάων *a b d e g*. Glossemata potius ducenda sunt 106 νεκρὸς δέμας *b c d g h*, ne contra Homeri consuetudinem poeta δέμας dicat corpus mortuum (v. Dion. Hal. de Hom. § 15 τὸ μὲν γὰρ τῶν ζώντων ἀεὶ δέμας προσαγορεύει); 42 οὐδέ ποτε πτολέμοιο, ubi *A G g h l m* οὐδέ ποτ' ἐκ πολ. κακὴν ἀπέφευγον ἀυτήν, quae structura ut est insolentior, ita sane exquisitior; 271 κάρηνα (quanquam ne hoc quidem falsum, nam eadem forma feminina utuntur Callim. fg. 125. Mosch. 4, 74. Nic. Ther. 131. Dion. Perieg. 562; sed Homerus κάρη tantum habet); 275 ἢ καὶ Ἄρηα tuentur *A G a e f g l x*; reliqui ἠδὲ καὶ Ἄρηνα, quod patet esse ex correctione, quia sequente plurali οἵ μιν- incommodum duxerunt particulam disiunctivam; sed hoc subtilius, quam verius. In errorem incurrerunt frequenti versus Homerici exitu v. 106 παρ' ὄχθας, ubi παρ' ὄχθαις ἦν ἤδη (*A G z*) rationi grammaticae magis convenienter scripsisse poeta putandus est. Constanter etiam *A G* his locis 61. 84. 86. 89. 99 veram lectionem ἐφ' ὕδατι servarunt, quam ex ceteris hic vel ille corrigere conatus est ἐν ὕδασιν; falso; nam tota res in superficie aquae agitur neque recte conieceris cum Bothio v. 89 κατέδυνεν ὑφ' ὕδατι, etsi λακτίζων ἀνέδυνεν.

Alterum genus est locorum, quod primo aspectu totam quam de codicibus proposui rationem evertere videatur, sed re diligentius perpensa nihil est, quod magis clara luce horum librorum fidem et integritatem illustret. Saepe enim *A G* cum aliis melioris familiae lectiones exhibent plane vitiosas, quum deterioribus id, quod verum sine dubio est, contineatur. Sed haec res eam habet explicationem, ut in archetypo libro aliquid fuerit peccatum ideoque postea suprascripta correctio. Iam fideles librarii religiose ea tantum, quae in seriem verborum inclusa erant, receperunt nihil morati, verum esset necne; qui autem et ipsi sapere sibi videbantur, delectum fecerunt scripturae. Sic aperta menda servarunt ex codice antiquissimo meliores complures v. 47 ἐμοῖο, 44 ἄνθρωπον οὐ δέδια, 56 ὁ Φυσίγναθος, 57 καὶ ἡμῖν ἐστι, 96 ἀλλά με πλανήσας, 146 αὐτὸν, 147 ἕκτανον, 180 λύχνα, 231 ἔγχε', 295 νωτάκρονες, 298 βλεσσοί. Facile idem cernitur in his: 45 ἄκρον δάκτυλον δάκνω boni, quum κατὰ, quod pessimi addunt, in archetypo esset suprascriptum; itemque 241 δ' ἐκεῖνος, ubi ἄρ' inseruit deterior familia; 120 ἄγε καθοπλισόμεθα *A G*, ceteri ἄγεθ' ὁπλισόμεσθα; 177 καὶ δὴ meliores, alii τὸν δὲ restituerunt ex

usu Homerico; 290 *πάντας μὲν τ' AG*, sed recte ceteri *μὲν ῥ'*, quod idem est v. 123; 194 *ἥμισυ πρωθεὶς AGeg* ex errore archetypi, reliqui correxerunt *πρωθῆ*; 246 *πᾶς τε δὲ εἶσω ὀξύσχονος AG*, unde alii fecerunt *πᾶσα δὲ εἶσω*, sed quia hic poeta v. 164 masculino genere vocabulum *ὀξύσχοινος* usurpavit et femininum ex Theophrasti demum aetate invaluisse dicitur ab Athen. 3, 122a, praestat cum *b d h l m t u x y z* scribere *πᾶς δὲ νἱ εἶσω*. V. 181 edita lectio *οἷον ἔρεξαν* tantum in *xyz* invenitur, sed sine dubio recte se habet; nam quod plerique praebent *οἷα μ' ἔοργαν*, iam in archetypum se insinuarat ex recordatione versus 179; correctio post ascripta. Idem factum 116 *μόρον*, 86 *ἔπλασε*, 88 *ἐβόα*, de quibus rebus infra dicam. Turbatum aliquid in codice antiquissimo erat v. 301, ubi *Afg ἦ πόδας*, *G καὶ πόδας* pro *ἦδὲ πόδας*; interpretatio irrepsit 238 *προπάροιθε*, ubi metrum ex deterioribus *πρόσθεν* recipi iubet; similiter ut 26 in integris libris legimus *καὶ Ὀλυμπίοις πετεηνοῖς*, quod propter numeros cedat *οὐρανίοις* oportet neque aliud est nisi simplex error. — V. 278 in mea collatione tacetur, ubi Barnesius scribit *G* habere *οὐ γὰρ Ἀθηναίης*, quod vere inest in *abdefly*; sed quamvis id exstiterit in archetypo, recte tamen reliqui expulerunt; nam *οὐ — οὔτε* perraro tantum et cum singulari quadam vi sententiae copulantur. — Dubia denique res videri potest 193, ubi *AGbg* scripserunt *ἀλλ' ἄγε νῦν παυσώμεθα θεοὶ, τούτοισιν ἀρήγειν*; sed quum in *d* exstet *δὴ* pro *νῦν*, etsi vocem *θεοὶ* Attica aetate licet *μονοσυλλάβως* efferre, tamen mutationi ansam dedisse videtur forma *παυσώμεσθα* in codd. obliterata, quam omisso *νῦν* ceteri tenent concinente Thom. Mag. p. 284 Ritschl. —

§. 6. *De codice archetypo.*

Hisce pertractatis iam pervenimus ad codicem archetypum accuratius examinandum, quem unde cognitum habere possimus, nemo fere mirabitur. Remotis enim singulorum librariorum calami erroribus et glossis, ubi eas discrepantias scripturae invenimus, quae per totas familias regnant (cuius generis in hoc carmine magna est copia), omnia in eo vertuntur, ut sciamus, quid in archetypo fuerit. Quae si et auctoritate librorum et aliis rationibus probabili modo elicuerimus, tum demum coniecturae firmum fundamentum erit substructum. Quum autem tria potissimum vitiorum genera sint, quibus scriptorum veterum codices depravati esse solent, glossemata, lacunae, errores, tripartita de his erit disputatio.

a. *De glossematis.*

Glossemata quae vocavi, latiore quidem, quam fit plerumque, sensu intelligo, quippe quorum nomine contineatur omne genus vitiorum ex suprascripto in archetypo aliquo vocabulo vel versu ortum. Adscribendi autem voces duae possunt esse

causae, interpretatio aut emendatio; illinc glossae quae proprie dicuntur exsistunt, hinc fiunt variae lectiones. Primum igitur videamus glossas, quas non paucas in archetypo exstitisse librariisque non raro fuisse fraudi dicrepantia lectionis multis locis indicat. — V. 8 ὡς ἔπος ἐν ἀνηρτοῖσιν ἔην optimi cum paucis tenent; ceterorum λόγος interpretatio fuisse videtur, quamquam Herodotus non paucis locis hac locutione λόγος ἐστὶ *fama fert* usus est (2, 75. 3, 5. 115. 7, 129. 198); sed fortasse hoc ipsum mutationis ansam praebuit; λόγος pro ἔπος correctum est etiam in quibusdam codd. Eur. Med. 1404. — V. 36 *AG* et deteriores nonnulli habent πολλὴν σησαμίδα, quod quum neque metro neque sententiae satisfaciat, glossa ducenda est alterius lectionis πολὺ σησαμότυρον. Athen. 14, 646 memorat πλακοῦντα ἐκ σησάμης καὶ τυρῶν; cf. etiam Herm. Antiq. priv. § 24, 23. — V. 60 iterum *A* cum grege mediocrium fallitur scribendo στοιχείοισι θυσιν; ceteri rectius διττοῖς. Ceterum totum hunc versum, qui in codd. post 61 legitur, recte Frankius ante 61 reposuit, ne sensus turbetur; sed quem olim propter haec στοιχείοις διττοῖς i. e. *terra marique*, Villois. ad Longum p. 135, in aliquem philosophum iactum suspicabar, nunc eiiciendum puto ut ex margine interpolatum. — V. 66 τρυφεροῖο κατ' ἀὐχένος meliorum consensus tuetur; deteriores ἁπαλοῖο ex v. 10 supposuerunt. — V. 91 deteriores aliquot occupavit lectio mala εἶλκον, quae sine dubio ad explicanda verba τρίχες πλεῖστον βάρος ἦσαν erat ascripta. Ἕλκειν enim de ponderibus cum πλεῖον vel πλεῖστον coniungitur Plat. Min. p. 316 A. Herod. 1, 50. Arist. H. A. 8, 6; sed βάρος ἕλκειν nullo, opinor, sensu dicitur. — Facile res perspicitur v. 93, ubi meliores οὐλήσεις δολίως, Φυσίγναθε, peiores pro δολίως scripserunt id quod ad verbum λήσεις cogitatione addendum, γε θεοὺς, ni fallor, ex glossa interlineari, siquidem *u* utrumque tenet. — V. 115 ex *ly* scribendum ἐς μόρον εἶλξαν, ubi quod initio interpretationis causa ascriptum erat ἕκταν, ex ceteris male submovit vocem illam sequenti versu vel optimi inter se distrahuntur, quum pars librorum legant ξύλινον δόλον ἐξευρόντες, pars μόρον, quod ex antecedenti fluxit. Hanc rem idcirco annoto, quia δόλον defenditur etiam lectione Schol. Eur. Or. 786, μόρον apud Dem. Triclinium ad Soph. Ant. 100 exstat, quo testatur sibi codices suppetiisse nostris non praestantiores. Nam nihil est morandum in illis, quibus hunc versum pro constanti exemplo fuisse figurae cuiusdam grammaticae ex ipsis illis locis videmus; quamobrem memoriter referentes etiam dicas lapsos esse memoria. Ceterum illo ξύλινον δόλον obscurius significari videtur equus Troianus ex Hom. θ, 494, ubi ante Aristophanem Byzantium δόλῳ legebatur teste schol. Harl., recte meo iudicio, cf. Nitzschii not. ad v. 273 et Hymn. Cer. 8 νάρκισσόν θ' ὃν ἔφυσε δόλον — Γαῖα. — Quo autem audaciae processerit libido interpolandi,

insigne exemplum praebent vv. 124. 125, ubi sic in archetypo scriptum fuisse paene necessario ex codicum varietate consequitur:

περὶ κνήμῃσιν ἔθηκαν
κνημῖδας μὲν πρῶτον ἐφῄρμοσαν εἰς δύο μηροὺς
εὖ τ' ἀσκήσαντες
ῥήξαντες κυάμους χλωροὺς, κνήμιας δ' ἐκάλυπτον.

Nam primariam lectionem tenent *AGy*, supra scripta exhibent *fhmxz* (qui maluit ἔθεντο); ceteri mixtam ex utraque lectionem. Nam quum primum versus Homericus in calamum venisset, homines simplices non dubitarunt assuere sequentia licet tautologiae obnoxia (sic *abcdegtu*), reliqui autem, qui erant acrioris iudicii, alterum versum mutare et ausi et necesse habentes εὖ τ' ἀσκήσαντες induxerunt (*fhmxz*). Sed genuina utra sit lectio, non ita difficile est dictu, quandoquidem formula Homerica verendum est ne errore librarii irrepserit ansamque dederit ad sequentem versum depravandum, neque facile intelligitur, quomodo altera lectio nata esse possit. Nam quod dixerit quispiam verbo ἐφήρμοσαν explicationem alterius lectionis contineri, in notissima formula substitutam esse vocem minime pervulgatam (est apud Hes. Opp. 76) vix crediderim; et unde illud εἰς δύο μοίρας (ita enim legendum ex Barnesii emendatione), quod non repudiasse hunc poetam ostendit v. 265? Ad illud κνήμας ἐκάλυπτον proxime accedit v. 161; et quod paullo incommodius assertus videtur v. 126, eiusdem iuncturae laxioris exempla sunt Hom. *Z*, 293 sqq. *Λ*, 242 sq., quocirca tutissimum est hanc lectionem restituere. — V. 173 recte editur ἦ μυσὶν ἀθανάτων cum *AGhlmy*, quod defendendum est contra ceterorum τειρομένοισι ex v. 178 desumptum, et quod lusit *z* τερπόμενοι ex v. 176. Eiusdem versus perturbatus finis est in quibusdam codd. ob mendum aliquod archetypi, ut videtur. — Plane submota fuit vera lectio 246, quo versu plurimi libri ita τύψε δέ οἱ μέσσην κατὰ γαστέρα, ubi οἱ et ob sequens πᾶς δέ οἱ εἴδω suspectum est et quia dativus ab usu sermonis epici abhorret. Sed *mhx* praebent τύψε μέσην δ' αὐτὸν κ. γ., ubi particula tertio loco collocata displicet. Tacite dedit Wolfius τύψε δέ μιν μέσσην, quod qui Homeri usum callet (*Λ*, 252. *P*, 312), unice verum habebit. *Μίν* in hoc carmine etiam v. 276 legitur. — Minoris momenti haec sunt: 122 ταῦτ' εἰπὼν habent omnes praeter *z* ὣς, quod probandum est ex usu constanti huius poetae, v. 65. 99. 144. 160. 177. 198. 277. 286. V. 21 male nonnulli καί σε βλέπω pro καί σὲ δ' ὁρῶ, quod ne cum Barnesio mutemus καὶ δὲ σ' ὁρῶ secundum *Υ*, 105. *X*, 420. *Ω*, 563, vetat vis oppositionis in pronomine posita. V. 162 καλῶν χλοερῶν ἀπὸ σείτλων ex auctoritate meliorum scribendum sensu nihil mutato. Sed v. 302 dubito utrum τοὺς δὲ scribam ex *AGax*, an τοὺς καὶ secundum ceteros coll. Hom. *Λ*, 406;

quamquam non raro hic poeta deserit Homeri usum. Eodem versu restituendum est *πάντες μύες* e meliori genere; nam *δειλοὶ* arguto librario debetur. — V. 148 *πάντως δ' ἐπνίγη*, deteriores omissione particulae peccant; sed cf. Solonis fg. 11, 28 Del. —

Sequuntur ii loci, quibus librarii quum corruptos putarent, medicinam afferre voluerunt. Leviora quidem talia sunt, ut 114 *ἔχθιστος*, quia feminina terminatio rariorem usum habebat; 107 pro *ἐπενήχετο* elegantius est et fortasse verum multorum *ὑπενήχετο*. Sed quia verum non intellexit, 111 scripsit aliquis *μοῖρα*, quum esset *πεῖρα κακὴ πάντεσσι τέτυκται* non in bonis solum codd., sed etiam in Etym. Voss. ad Et. 667, 39 (cuius loci notitiam Schneidewino debeo): *πεῖρα σημαίνει τὴν βλάβην, ὡς Ὅ. ἐν βατρ. πεῖρα πάντεσσι τέτυκται.* Quamquam ea interpretatio accurata non est; sunt *illecebrae*, insidiae et sollicitationes omnibus pariter imminentes. — V. 154 *ἄκροις πὰρ χείλεσσιν* (intelliguntur orae lacus, ut fossae *M*, 52; cf. huius carminis vv. 166. 220. 225. 251) interpretati sunt voce *τείχεσσιν* etiam *AG*, quod ita factum existimo, ut falso in archetypo scriptum esset *τείχεσσιν*, deinde correctum *χείλεσσιν*, quam correctionem illi nimium providentes recipere noluerunt. Neque aliter fortasse res cecidit v. 37, ubi *Aaefg εἵματα* pro *ἤπατα!* — Suprascripta voce *ἐπὶ* turbatum est v. 69, ubi optimos sequendum est coll. 88; inepte paullo post 72 deteriores *ἰδέσθαι* pro *ἱκέσθαι*. — V. 167 vere corruptum fuisse archetypum variae ostendunt corrigendi rationes in voce *ἔμπληντο*, quam post Wolfium nunc praebet *u;* meliores *ἐπίπλαντο*, similia. — Grave vulnus trahunt 156. 157, ubi melius genus ita:

δραξάμενοι κορύθων, ὅππως σχεδὸν ἦλθον ἐφ' ἡμᾶς,
ἐς λίμνην αὐτοὺς σὺν ἐκείναις ἐνθὺ βάλωμεν.

Deteriores autem prioris versus finem insanum correxerunt: *ὅσσις σχεδὸν ἀντίος ἔλθοι*, ex *Z*, 54, *E*, 301; in posteriori *σὺν ἐκείναις* expulerunt glossa *σὺν ἕντεσιν*, unde Barnesius *αὐτοῖσι σὺν ἕντεσιν*. At mihi universa horum versuum loquacitas ita displicet, ut versibus in unum contractis scribendum esse censeam *δραξάμενοι κορύθων ἐς λίμνην ἐνθὺ βάλωμεν*. Sic etiam illa dubitatio removetur, quae antea oborta mihi est, utrum v. sq. *ἐν ὕδασι* potius glossema ducerem, an *ἐκείνους*, quod meliores pro eo substituunt. *Ἐκείνους* enim in hoc versu displicere debuit, si iam in antecedenti *ἐκείναις* scriptum erat; illo submoto suum tenet locum. — Dubius haereo v. 210, ubi *AGaeg ψυχὴ στόματος δ' ἐξέπτη*, reliqui *ψυχὴ δ' ἐκ σώματος ἔπτη*. Voces illas saepius esse confusas demonstravit M. Schmidt de Tryphone Alexandrino 1851 p. 37; quaeritur autem, utrum poeta animam nominatim ex ore efflatam voluerit, an cum Homero *Π*, 856, per quod foramen effugerit, missum fecerit, quod magis convenire videtur coll. 214. — Neque cer-

tius est 140, scripseritne *ἔπεμψαν εἰπεῖν ὁπλίζεσθαι*, ut auctor Hymni Ven. 138, an *εἰπόν θ' ὁπλίζεσθαι*, quod habent *f* et *AG* (*εἰπεῖν θ'*). —

A vocabulis interpolatis ad totos versus progrediemur, quos in libro archetypo aut in margine tantum exstitisse aut pro varia lectione ascriptos aut denique aliqua nota significatos fuisse varietas codicum qui supersunt testatur. Et lusus librarii alicuius est is, quem plurimi libri habent post 100, *καί ῥα κραιπνότατος μοίρας μυσὶν ἄγγελος ἦλθε*, qui quum plane absit ab *x*, unus *z* eum loco sequentis scite posuit, propter quem ipsum exulare eum necesse est. — Non minus qui inde a Lycio receptus vulgo habetur 195, abest a bonis *AGabde(f)gmu*, in ceteris corruptus legitur, sed nihil nisi additamentum ex antecedenti misere confictum est. Nam quod Matthiaeus dicit non hunc, sed v. 194 spurium esse habendum, quod *μὴ* ne non soleat *κε* adiunctum habere, id vero multo magis prohibet, quominus versum librario alicui tribuamus; vitium autem delebimus scribendo *μή νύ τις*, cf. Hom. *A*, 28 ibique annot. Nägelsb. — Quae vel post vel ante 171 in plerisque codicibus leguntur

ὣς βατράχων στρατὸς ἔβρεμεν εὖτε γιγάντων,
καὶ μῦες κενταύρων μεγαλαύχων ἦσαν ὁμοῖοι (sic *AG*),

ne metro quidem unquam inclusa fuere, sed interpretamentum illius versus coniuncti cum v. 7, perdiditque operam suam Barnesius, quum numeris ista astringere laboravit. — V. 229 *Ὑδρόχαρις δέ τ' ἔπεφνεν Πτερνοφάγον βασιλῆα*, quem omittunt *AGabdeg*, num librarii foetus sit, in turbis illius loci non facile dicas; ceterum unus hic in proelio *βασιλεὺς* vocatus mirationem facit. — V. 259 abest in *AGz*, qui sane languorem facit; magis etiam suspectus est 123, qui facetum grammaticum sapit; at v. 121 num facile carere possimus, dubito, quamvis non paucis in libris desideretur; vetat enim vel aurium iudicium orationem versu 120 finiri. — V. 200 Frankii *καὶ δ' ἦλθον κήρυκε τέρας πολέμιοι φέροντε* ne inclusus quidem ferri potest; obscuriorem enim habet sententiam et quae nil nisi occupet sequentia; abest etiam ab *AG* aliisque bonis. — Mira est res de v. 98, qui apud Frankium ceterosque recentiores ex Barnesii coniectura ita scriptus est: *ποινὴν αὖ τίσεις σὺ μυῶν στρατῷ οὐδ' ὑπαλύξεις*, quum in codicibus quos novi omnibus haec fere exstent:

ποινήν τ' ἀντέκτισιν τ' ὀρθὴν ὄρκ' ἀποδώσει
τοῖς τίσουσί σε μυῶν στρατός, οὐδ' ὑπαλύξεις,

quorum versuum prior, si est ullus, sine dubio ab interpolatore isto, qui se emendatorem voluit, confectus est, quum antea glossatoris manu explicationis gratia vox *ἀντέκτισις* ad *ποινὴν* esset suprascripta. Hac enim voce Hesychius quoque utitur: *ποινή· ἀντέκτισις ἢ ὑπὲρ φόνου δεδομένη*; adiectivum *ὀρθὴν*, quod Ernestio glossatoris esse non videbatur, a versificatore

demum adiectum est ad versum complendum. Idem Ernestius scite ad haec verba contulit Novi Foederis illud ὁ θεὸς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, saneque scriptorem Christianum sapit versus, qui insuper metro syllabarum caret iusto; nam prima vocis τίσις apud poetas omnes corripitur. Quod quum unus Lycius animadverteret, coniecit ποινὴν αὐτίκα καὶ τίσιν ὀρθήν; sed quamquam artificem laudo, tamen cum Chalcondyla priorem versum eiiciendum puto; in posteriori restituendo verum vidit, si quis unquam, Goesius de Batr. p. 47, qui proposuit ἦ ποινὴν τίσεις σύ; „facile enim *H* ob sequentem similem litteram *Π* excidere potuit.“ *) — Maiorem etiam disputandi materiem praebent vss. 74—92, non illi quidem solum ab interpretibus diverso modo tentati, sed in codicibus etiam discrepanti ordine scripti. Meliores enim libri versus ita exhibent, quemadmodum Wolfius eos disposuit, ut post 73 statim sequantur 79—85, deinde 89. 90, tum 86—88 et 74—78, denique 91 sqq. Deteriorum ordo idem est, quem Frankius expressit, nisi quod 86—88 positi sunt post 73. At unde haec diversitas originem duxit? Aut egregie fallor, aut ex archetypi conditione nata est; ita autem mihi rem informo. Casu quodam librarius in describendo unam paginam, qua octo illi versus 74—81 continebantur, praeterierat eosque versus errore cognito post sequentem paginam, quae ex novem his 82—90 constabat, collocavit signo quodam addito ad errorem legentibus indicandum **). Deinde meliorum codicum librarii, quos nimium religiosos iam pluribus locis invenimus, ordinem restituere ausi non sunt, deteriores fortiter iudicium adhibuerunt. Ita si res habet, tantum abest, ut melioribus libris fidem abrogemus, ut summam constantiam iis attribuendam clarissimo exemplo confirmatum habeamus. Nam meliorum quidem ordo versuum nullo pacto ferendus est, imprimis propter vv. 75—78, qui eam habent indolem, ut non possint dici a mure, postquam de tergo ranae iam delapsus in aquam est, quum praesertim secundum illam rationem duobus tantum versibus post mus altera oratione ranam gravissimis persequatur detestationibus. Altero igitur deteriorum ordine restituto illa quidem bene cohaerere videntur; sed vide sis apud Wolfium, qui hanc rationem secutus est, quam inepte vv. 74—76 (Frankii 86—88) et cum antecedentibus et cum sequentibus copulentur! Nam quod Wolfius lacunae signum post 73 posuit, sine dubio deceptus est levitate Barnesii, qui haec ascripsit in nota: „Hic in Mss. *A* et *Γ* sequuntur aliquot versus imperfecti

*) Bernhardyus in Hist. Gr. Litt. II. p. 132 suspicatur ποινὴν θην τίσεις σύ; sed vocis θην vim prope dixerim subtiliorem esse quam pro huius poetae simplicitate. —

**) Possis etiam statuere, in archetypo folium unum fuisse inversum, ut pagina recta facta sit adversa — nisi hoc potius sit hariolari.

nec huic loco ulla arte conciliandi.“ Quorum versuum cognitione quum et ipse magnam fortasse lucem huius loci obscuritati affluxuram opinatus essem, nuntiatum est omnino nihil deesse in illis codicibus! Sed vel si lacunam statueris, primum tres illi versus nullum habent intellectum, dum mus in tergo ranae sedet; quomodo enim possit *οὐρὴν οὐρειν ἠύτε κώπην*, aut quid hoc prodest? Deinde quae haec est structura verborum *οὐρὴν — σύρων, εὐχόμενός τε — ἐκλύζετο?* Quae omnia intuens Frankius hos vv. post 85 relegavit; sed praeterquam quod haec transpositio nulla auctoritate externa nititur, nihilo aptiores erunt versus, quorum alter 87 ad exemplar v. 72 fictus est (quod ne appareat, facta est ineptissima interpolatio deteriorum v. 72 *ἰδέσθαι*), alter 88 inanem repetitionem habet v. 69. Nam quod Frankius scripsit 88 *ἐλίσσετο*, coniectura Ilgenii est, quum in codd. sit *ἐκλύζετο*; eodemque versu ex interpolatis libris dedit *πολλὰ δ' ἐβώστρει*, sed quum alii habeant *πολλὰ δακρύων*, meliores autem fidelius *πολλὰ δ' ἐβόα*, manifestum est corruptam lectionem esse traditam; scribendum autem cum Barnesio *πολλὰ δ' ἔβωσεν*, collato *M*, 337 *βώσαντι* et Hippon. fg. 1 Del., ubi Schneidewinus eandem formam restituit. Sed etiam primo versu (86) bonorum librorum scriptura *οὐρὴν μὲν πρῶτ' ἔπλασ' ἐφ' ὕδασιν* corruptelam declarat ab interpolato genere sic sanatam *οὐρὴν πρῶθ' ἤπλωσεν*, quae emendatio nescio an ita vera sit, ut est facilis; ne tamen hoc maligne atque e mea re dixisse videar, quia in promptu est illud *πρῶτα* conciliari non posse in hunc nexum sententiarum, concedo non minorem laudem mereri, quod Ilgenius excogitavit *οὐρὴν μὲν προπέτασσεν*. At ne sic quidem tueri velim illos versus misere conglutinatos, qui eliciendi videntur, ita ut v. 73 arcte cum 74 Frankii coniungatur. — Sed ut sententia mea de hoc loco lata ab omni parte demum probetur, necesse est de sequentibus 74—78 pauca subiungere; horum enim sensum nemodum, quod sciam, perspexit. Neque enim reprehensio ranae inest in oratione illa muris, quum honesta potius compellatione ducem suum commemoret mus, neque fictae blanditiae; sed consolatio, qua mus animum anxium erigere studet. Sententia autem interrogationis signo terminanda hoc sonat: Nonne sic Europa virgo per mare vecta est in tergo tauri, ut me nunc rana sustinet humeris? Quid ergo (cogitatione addendum hoc) timore expavesco? Quid lacrimas fundo? Nonne eadem alii tulerunt multo me nobiliores? Mus igitur mediis in periculis luctans cum undis tamen confirmat animum considerando, quam sit similis factus Europae, facitque ex more eorum poetarum, qui amores suos celebrantes fabularum comparatione adhibita argumentum per se non satis grave illustrius reddebant. Nam hac oratione ad modum sublimis carminis expressa tangi aliquem poetam insulsum vel epicum vel lyricum valde mihi pro-

babile est; facit huc locutio exquisita φόρτον ἔρωτος, ad quam Barnesius apte confert Anacreont. 1308, Nonni Dionys. 4, 117 εἰν ἁλὶ φόρτον ἔρωτος, alia; faciunt etiam verba ἀπὸ στόματός τ' ἀγόρευσέν acerbitatis causa delecta: *memoriter recitavit et declamavit;* quippe decantatae toties fabulae omnibus iam lippis et tonsoribus notae erant. De usu vocis ἀποστοματίζειν in scholis v. Herm. Antiq. priv. § 35, 8 *). —

Iamdudum iactata res est versuum 42—52, qui in *x* post 55 collocantur, in *b c t* plane omittuntur; ex quo mihi quidem liquere videtur, in codice antiquissimo notam aliquam iis fuisse appositam. Et vv. 53—55 ante v. 42 transponere, quod Boissonadius fecit, temerarium est; recte enim iam Ilgenius viderat, ranae responsionem postulare, ut proxime de cibo aliquid a mure dictum sit. Defendere hos versus suo loco studet Frankius, qui satis esse affirmat, vv. 42. 43 post 47 inserere; murem enim, ut dictis fidem faciat, recte sic pergere, ut nullo se metu hominum teneri (ideoque audacter eorum cibis potiri) ostendat. At ut nihil dicam de violenta transpositione, v. 44 cum 41 non bene coit, et illum, quem quaerit sententiarum nexum ipse sibi finxit, poeta certe non indicavit. Tum nihilo aptius hi vv. coniunguntur eum sequentibus οὐ τρώγω ῥαψάνας, ubi particula saltem aliqua desideratur. Quod quum intelligeret Wolfius, lacunas post vv. 41, 43, 52 statuit. Mihi autem ne sic quidem omnia expedita sunt; et quamvis coniungi illa posse nonnullis versibus interpositis non negaverim, tamen ab hac muris oratione, quae tota in ciborum laude versatur, alienam hanc partem existimo, licet satis antiquo tempore a lectore nescio quo additam. Denique versus 41 et 53 facile connectuntur etiam sine particula gravi adiuvante antithesi. — Quae apud Frankium leguntur vss. 281. 85, miro modo in codd. variant; meliores ita (mitto leves errores):

κινείσθω· οὕτω γὰρ ἁλώσεται, ὅστις ἄριστος·
ὦ ποτε καὶ Καπανῆα κατέκτανες ὄβριμον ἄνδρα
καὶ μέγαν Ἐγκέλαδον καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

In aliis v. 281 ita est, κινείσθω, μέγα Τιτανοκτόνον ὀβριμοεργόν; hinc Lycius recte conclusit simile initium aberrante oculo errorem effecisse, deditque eam quam Frankius habet lectionem. In qua tamen versus ille ὦ Τιτᾶνας ἔπεφνες, ἀρίστους ἔξοχα πάντων sine dubio interpretationi vocis Τιτανοκτόνον debet originem. Fortasse autem ne tam quidem locus ab interpola-

*) Bothius probato intolerabili illo versuum ordine, quia mus deiectus in aquam ista loquatur, ita explicat ἐμπετάσας *extendens mortuum*, et ὠχρὸν *pallidum morte*, ut ad murem referat, quae de rana dicta sunt expandenti corpus viride in aqua pura, dum murem portat. — Ceterum nunc iam amplector sententiam C. F. Hermanni, qui hisce perlectis non solum tres versus spurios iudicat, verum totum illum locum 74—78 et 86—88, cuius sedes incerta est, expelli vult ut ab interpolatore additum.

tione vacuus est, siquidem haec *κινείσθω μέγα Τιτ. ὄβριμ.* idcirco tantum addita sunt, ne verbum longius esset remotum; elegantior enim et nervosior quam pro hoc tenui carmine videtur repetitio vocis *κινείσθω*. Sed certi in his rebus nihil datur explorare. —

Unus superest locus, de cuius difficultatibus nihil fere suspicari possunt, qui editiones legunt, sed in quo id saltem consequi posse videor, ut et quid in archetypo fuerit appareat, et causae tantae diversitatis aperiantur. Sunt autem vv. 212—221, ubi comparati inter se libri deteriores *h l m t u x y z* ostendunt unum omnium eorum fuisse fontem. Est enim ita in *hxy:*

Ἀρτοφάγος δὲ Πολύφωνον κατὰ γαστέρα τύψεν·
ἤριπε δὲ πρηνής, ψυχὴ δὲ μελέων ἐξέπτη (ἔπτη luy).
Λιμνόχαρις δ' ὡς εἶδεν ἀπολλύμενον Πολύφωνον,
Τρωγλοδύτην ἄπαλοῖο δι' αὐχένος τρῶσεν ἐπιφθὰς (ἐπισιὰς x)
πέτρῳ μυλοειδεῖ· τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυφεν.
Ὠκιμίδην δ' ἄχος εἷλε καὶ ἤλασεν ὀξέι σχοίνῳ·
ἀλλ' ὁ μὲν ἔσπασεν ἔγχος· ἐφωρμήθησαν (ἐφώρμησαν x)
δὲ ἐπ' αὐτῷ· (ἐφορμηθέντος ἐπ' αὐτῷ h)
οὐδ' ἐξέσπασεν (οὐδ' αὖ ἦχεν οἵγ' x) ἔγχος ἐναντίον· ἤριπε
δ' εὐθύς·
Λειχήνωρ δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαεινῷ,
καὶ βάλεν οὐδ' ἀφάμαρτε καθ' ἧπαρ· ὡς δ' ἐνόησε
Κουστοφάγος (Κραιβοφάγος hm) φεύγων βαθείης ἔμπεσεν ὄχθαις·
ἀλλ' οὐδ' ὣς ἀπέληγε μάχης (ἐν ὕδασιν, ἤλασε δ' hmux),
ἀλλ' ἤλασεν αὐτόν.

Post 5 *x* addit *Τρωγλήτης δ' ἄρ' ἔπεφνε Βρεκαίκιστα ἐσθλὸν ἀίξας* per lusum a librario quodam fictum; vv. 9. 10 autem hoc modo exhibet

Λειχήνωρ δ' ἄρα Κοστοφάγοιο τιτύσκετο δουρί·
οὗτος δ' ὡς ἐνόησεν φεύγων ἔμπεσεν ὄχθαις.

Deinde Chalcondylas in *m*, quem Lycius est secutus, metrum restituere conatus est v. 5. 6 scribendo

Τρωγλοδύτην πέτρῳ μυλοειδέι τρῶσεν ἐπιφθὰς
αὐχένα παρ μέσσον· τὸν δὲ —

itemque v. 11

Κραμβοφάγος ὄχθαισι βαθείαις ἔμπεσε φεύγων.

Vulgaris autem lectio et *u* etiam hoc ab ea quam proposui scriptura differunt, quod vv. 6—8 plane omittunt; hosque versus apud avum, ut ita dicam, huius stirpis singulari conditione fuisse usos, arguunt collati *t* et *z*, quorum ille ceteris omissis haec sola habet pessime corrupta:

Ὠκιμίδην δ' ἄχος εἷλε καὶ ἤλασεν ὀξέι σχοίνῳ·
ἀλλ' ὁ μὲν ἔσπασεν ἔγχος· ἐφωρμήθησαν δὲ αὐτῷ
Τρωγλοδύτην ἄπαλοῖο δι' αὐχένος· ὡς δ' ἐνόησεν

Κρουστοφάγος φεύγων βαθείαις ἔμπεσεν ὄχθαις·
ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀπέληγεν ἐν ὕδασιν· ἤλασε δ' αὐτόν,

hic autem *z* primum hos ipsos versus multo etiam corruptiores ac laceratos exhibet, deinde reliquos (1—5 et 9—12) adiungit insana quadam mutandi libidine commaculatos. (Has hariolationes huc describere opus non videtur, quia nihil iis lucramur; leget, qui volet, apud Barnesium vel Maittairium). — Hisce accurate collatis paene necessario consequitur, vv. 6—8 antea in margine scriptos aut aliqua nota fuisse signatos, ita ut pro lectione diversa possent haberi.

Iam videamus alteram codicum familiam, quae ea potissimum proprietate continetur, ut in omnibus codd. vv. 5. 9. 10 (*ἤριπε δ' εὐθὺς — ἦπαρ*) desint. Sed varietates tamen exsistunt non paucae. Scribitur autem in principibus *AGae* sic:

Ὠκιμίδην δ' ἄχος εἶλε καὶ ἤλασεν ὀξέι σχοίνῳ·
Ἀρτοφάγος δὲ Πολύφωνον κατὰ γαστέρα τύψεν·
ἤριπε δὲ πρηνὴς, ψυχὴ δὲ μελέων (λέων AG) ἐξέπτη.
Λιμνόχαρις δ' ὡς εἶδεν ἀπολλύμενον Πολύφωνον,
Τρωγλοδύτην ἀπαλοῖο δι' αὐχένος· εὐθὺς ἔτρωσεν (τρῶσεν εὐθὺς G).
οὐδ' ἐξέσπασεν ἔγχος ἐναντίον· ὡς δ' ἐνόησε
Κωστοφάγον φεύγοντα, βαθείαις ἔμπεσεν ὄχθαις·
ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀπέληγε μάχης· ἀλλ' ἤλασεν αὐτόν.

Proxime cum hac scriptura convenit *d*, in quo v. 1 post v. 5 est collocatus et in v. 5 lectio deteriorum apparet *τρῶσεν ἐπίφθη*. Sed in eodem versu etiam *befg* praebent *ἤριπε δ' εὐθὺς* (pro *εὐθὺς ἔτρωσεν*), quo ostenditur in patre familiae oculo aberrasse scribam in versum eum, quem omittere in animo erat. Praeterea *bg* omittunt vv. 2—4 negligentia, ut videtur. Utriusque familiae scripturam si contuleris, iam licet concludere, non solum in libro archetypo omnia quae habemus affuisse, sed etiam nonnullos versus certam sedem non habuisse sed in margine fuisse ascriptos aut emendandi aut ludendi causa. Videtur autem hoc modo:

Σευτλαῖος δ' ἄρ' ἔπεφνε βαλὼν κίαρ Ἐμβασίχυτρον.
Ἀρτοφάγος δὲ Πολύφωνον κατὰ γαστέρα τύψεν·
ἤριπε δὲ πρηνὴς, ψυχὴ δὲ μελέων ἐξέπτη.
Λιμνόχαρις δ' ὡς εἶδεν ἀπολλύμενον Πολύφωνον,
Τρωγλοδύτην ἀπαλοῖο δι' αὐχένος [τρῶσεν ἐπιφθὰς πέτρῳ
μυλοειδέι· τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν.
[Ὠκιμίδην δ' ἄχος εἶλε καὶ ἤλασεν ὀξέι σχοίνῳ]
Οὐδ' ἐξέσπασεν ἔγχος ἐναντίον [ἤριπε δ' εὐθὺς· ἀλλ' ὁ μὲν
ἔσπασεν ἔγχος· ἐφωρμήθησαν δὲ ἐπ' αὐτῷ.
Δειχήνωρ δ' αὐτοῖο τιτύσκετο δουρὶ φαεινῷ
καὶ βάλεν οὐδ' ἀφάμαρτε καθ' ἧπαρ] ὡς δ' ἐνόησε
Κοστοφάγον φεύγοντα, βαθείαις ἔμπεσεν ὄχθαις·
ἀλλ' οὐδ' ὡς ἀπέληγε μάχης, ἀλλ' ἤλασεν αὐτόν.

Ex hoc velim cognoscatur primum, versum hunc *Ὠκιμίδην κτλ.* certam sedem non habuisse; deinde post verba *ἀπαλοῖο δι' αὐχένος* lacunam esse; nam *τρῶσεν ἐπιφθὰς* additamentum est librarii. Tum versus *ἀλλ' ὁ μὲν ἔσπασεν κτλ.* sine dubio est grammatici interpretatio sequenti *οὐδ' ἐξέσπασεν* addita; denique *ἤριπε δ' εὐθὺς* spectat ad sequentia, quibus causa contineri videtur, cur Limnocharis extemplo ceciderit. Quamobcausam vero multi codices verba *Λειχήνωρ — ἦπαρ* omiserint, infra dicam. Sed si quis quaesiverit de genuina totius loci forma, non ego sum ea audacia, qua Ilgenius versus mutilos parum adiutus codicibus restituere conatus est; quem refutare in rebus singulis, quia rectam viam omnino non est ingressus, meum nunc esse non duco. — Ac de interpolationibus quidem satis dictum.

b. *De lacunis.*

Ab abundantiis codicis archetypi transimus ad inopias, de lacunis nonnulla dicturi. Atque in versibus ipsis si vox aliqua omissa erat, facile hoc cognoscitur diversa explendi ratione, quam codices inierunt. Hoc modo v. 64 *ὅππως γηθόσυνος ἐμὸν δόμον εἰσαφίκηαι* in archetypo fuisse arbitror, quocirca ante *ἐμὸν* alii addiderunt *ἐς*, quod aptum non videtur ad sequens *εἰσαφίκηαι* cf. similem locum Hes. Sc. 45; alii *πρὸς* adiecerunt, alii nihil. Verum videtur, quod unus *s* praebet *τὸν ἐμὸν δόμον*; cf. 25 *τοὐμὸν γένος*. — Mox v. 67, ubi meliorum pars *καὶ τὸ πρῶτον ἔχαιρεν*, reliqui *καὶ πρῶτον μὲν*, quum utrumque ferri possit, illud tamen magis placet, quia paullo insolentius dictum est. — V. 133 ita variant, ut nescias fueritne scriptum *καὶ τὸν μὲν πρῶτόν γε* an *πρῶτόν ῥα*; sed quum lacuna servata sit in *AG* aliis, ego probaverim *γε*. — V. 175 meliores plerique legunt *κατὰ τὸν νηὸν σκιρτῶσιν*, ceteri omisso articulo *ἀεὶ* post *νηὸν* inseruerunt; et quanquam hic articuli usus non alienus est ab hoc poeta, ego tamen *ἀεὶ* sententiae aptius existimaverim. Duplicem scilicet viam corrigendi emendator ostenderat. — In fine versus aliquid excidit postea male suppletum v. 144, ubi codices metro perdito *λόγος δ' εἰς οὔατα μινῶν* (exceptis *xy*, qui coniecerunt *πάντων*); nam quod Maittairius dicit Sylburgium demonstrare ad Etym. M. p. 380 *μινῶν* in priori produci posse, ille ex suo ingenio pentametrum finxit hoc initio: *μῖες ὅλον*, nullo veteris poetae exemplo. Igitur *μινῶν* quum sit delendum, quid scribamus, valde incertum est; videtur autem desiderari adiectivum ad vocem *λόγος* pertinens. — Idem fortasse factum est 290, ubi quum haec verba *πάντας μέν ῥ' ἐφόβησε βαλὼν ἐπὶ τούσδε* in omnibus libris exstent, in compluribus nihil additur, in aliis *τοὺς μύας*, *τε μύας*, in *A κεραυνός*. Ex hoc si quis coniecerit *κεραυνὸν*, coniectura sanaverit locum satis eleganti; mihi vero admodum probabile videtur totum versum esse spurium, quippe a grammatico ascriptum, ut sequenti *ἀλλ' οὐδ' ὣς* id opponeret, quod

cogitatione suppleri solet. Quod similiter factum vidimus in illo *ἀλλ' ὁ μὲν ἔσπασεν ἔγχος*, de quo egi pag. 34. — Frustra adhuc desudarunt interpretes in vss. 184—86 ad scripturam et ad sententiam sane difficillimis. Narrat Minerva, cur muribus adiutrix esse nolit; eos enim vestem ab ipsa textam arrosisse; pergit deinde v. 184:

καὶ τρώγλας ἐτέλεσσαν· ὁ δ' ἠπητής μοι ἐπέστη
καὶ πολύ με πράσσει· τούτου χάριν ἐξώργισμαι·
χρησαμένη γὰρ ὕφανα καὶ οὐκ ἔχω ἀνταποδοῦναι·
καὶ πράσσει με τόκους· τὸ δὲ ῥίγιον ἀθανάτοισιν.

ubi in primo v. Chalcondylas scripsit *τρώγλας τ' ἐμποίησαν*, quia vocem *ἐτέλεσσαν* in omnibus codd. inventam non magis quam nos intellexit. Deinde alterum ex illis versibus *καὶ — πράσσει* spurium esse codices ipsi indicant; sed utrumcunque eieceris, difficultas manebit, quae in eo potissimum cernitur, quomodo *ἠπητὴς sartor* a Minerva pecuniam exigere possit, quum exspectes a mercatore mutua sumpta licia. Tum vero *τρώγλας ἐτέλεσσαν* de muribus dictum absurdum est; sed collato versu Manethonis Apotelesm. IV, 435 *βελόνῃσι ῥωγαλέους πέπλους ἀσκηθέας ἐκτελέοντες* (sarciunt vestes scissas) ego, si liceret hariolari, suspicarer scriptum esse

— — — — ὁ δ' ἠπητής μοι ἐπέστη
τρώγλας τ' ἐξετέλεσσε - - - - - - - -, quae

exorta lacuna in unum versum postea male coaluissent. — Denique lacunae signa nonnullis locis apposuit Wolfius, ut totos versus intercidisse indicaret. V. 225 ita apud Frankium legitur *Τυροφάγον δ' ἐπ' ὄχθης Λιμνήσιος ἐξενάριξεν*, ut per se sententia plena sit, sed ea est correctio deteriorum codicum, nam integri habent *Τυροφάγον δ' αὐτῆσιν ἐπ' ὄχθης ἐξενάριξεν*, quae verba quia neque cum antecedentibus neque cum sequentibus coeunt, lacuna cum Wolfio statuenda sine dubio est. — V. 253 qui apud Frankium legitur, tantum in *hmuz* exstat; ceteri codd. eius loco hunc praebent: *ἔσχατος* (lege *ἔσχατα*) *δ' ἐκ λίμνης ἀνεδύσατο, τείρετο δ' αἰνῶς*, qui quid sibi velit, quum ex parte v. 250 repetat, non extrico. Alter autem ille, si ad conditionem illorum codicum respicias, fictus est, ne intellectus deesset loco. Idem perspicitur in duobus sequentibus vv., ubi iidem libri *hmuz* hos duos inferserunt:

Τρωξάρτης δ' ὡς εἶδεν ἐϑ' ἡμίπνουν προπεσόντα,
καί οἱ ἐπέδραμεν αὖϑις ἀποκτάμεναι μενεαίνων,

ea scilicet de causa, quia 254. 55 perversam sententiam continent; nam *Φυσίγναθος* rana est, quem vulneratum *Πρασσαῖος* et ipse rana aggressus esse dici non potest. Sed de emendatione loci non cogito; manus potius ab illis turbis prorsus abstinendae; miror autem, ne Wolfium quidem hoc vidisse neque lacunam statuisse, quam h. l. fortasse maiorem iam codex antiquissimus hauserat. Ita si res habet, non opus est cum Wol-

fio statuere, ante v. 257 aliqua excidisse. — Denique ante 270 cur Wolfius versum deesse existimaverit, plane non video; illud enim καὶ τότε si minus eleganter dictum hoc loco, attamen in hoc carmine in suspicionem vocandum non est. —

c. De vitiis.

Ad eam quae sequitur disputationem de vitiis praemonendum est, multa ex eo genere iam supra tractata esse cum aliis locis, tum in iis quae de optimorum codicum fide et praestantia disserui; nunc de iis, quae reliqua sunt, breviter absolvam. Et ducant quidem densum vitiorum agmen nonnulli loci, quorum corruptelae iam ope codicum sanatae sunt. V. 241 scriptum est in plurimis ἑλὼν δέ γε χειρὶ παχείῃ; sed quum hae particulae δέ γε coniunctae apud Homerum nullo quod sciam loco inveniantur, hic certe locus eum qui inesse deberet, sensum non ferat, recte Wolfius ex *a* recepit δέ τε et Homero usitatum et huic loco accommodatum. — Paullo post v. 247 meliores habent ἐκέχυντο; sed plusquamperfecto hic non est locus; scribe igitur ex deteriorum emendatione ἔκχυντο. — De v. 257 τοῦ δ' ἔβαλε τρυφάλειαν ἀμύμονα καὶ τετράχυτρον non tam eam ob causam admoneo, quia levi errore in *AG* scriptum est τετράχητρον, sed quia de tota hac voce quid statuamus, in incerto est. Lycius male nomen muris inesse putavit ideoque distinxit post τρυφάλειαν; sed respici ad Homericum τετραφάληρον nemo non videt. At hoc non sufficit in eo vocabulo, quo *magnitudo* galeae lepide praedicatur; quid igitur, si poeta derideat illam Ἀϊδὸς κυνέην ἑκατὸν πρυλέεσσ' ἀραρυῖαν (*E*, 744)? Et χύτραν pro mole aliqua et nimia copia fuisse in usu, glossa Hesychii: λημιᾶν χύτραις ἢ κολοκύνταις, παροιμία ostendit. — V. 303 archetypi lectio fuisse videtur ἐδύσατο a melioribus servata; sed in re parvula praestabit restituere formam Homericam ἐδύσετο. — Mirum in modum turbati in codice antiquissimo fuerunt vv. 44—48, ubi metrum verbis male transpositis periit. Aperte id docet v. 44, in quo codd. ἄνθρωπον οὐ δέδια, quod correxerunt *bchx* οὐ δέδι' ἄνθρωπον; ibidem in *glxy* σῶμα μέγα nescio quo casu invasit. Proximo v. omnes tenent ἄκρον δάκτυλον καταδάκνω (nisi quod plerique simplex δάκνω), ubi ne H. Stephanus quidem ausus est verba transponere. Deinde v. 46 ἵκανεν ἄνδρα traditum est; quod quia Homerus producit mediam verbi ἱκάνω, Ernestius transposuit; v. Spitznerum Instt. Pros. Gr. § 51, 2, 1. Sed in sequenti ita ut in v. 42 Barnesius demum sustulit grave vitium ἀπέφυγεν. Accedit denique v. 48, ubi ceteri omnes ἀλλὰ δύω μάλα πάντα τὰ δείδια, sed *AGa* μάλα πάντων, quod mutato verborum ordine propter numeros πάντων μάλα probandum est. Nam altera lectio ex glossemate, ni fallor, profecta, quam priores interpretes defenderant, recte a Matthiaeo reiecta est auctore Hermanno, qui ad Vigerum p. 722 exposuit δύω πάντα

esse *duo nullo excluso*, quod h. l. ineptum est. — V. 127. 128 in codd. omnibus collocati sunt post 131; quos in illum locum bene transposuit Chalcondylas, quia Homerus hunc semper ordinem describendi servavit in armatura heroum, ut post ocreas thorax nominaretur; vide imprimis *Δ*, 17 sqq.

Sed pervenimus ad eos locos, ubi codicum ope desperata verba poetae coniectura sunt refingenda; quae res quod paucis tantum locis prospere cesserit, perspecta archetypi conditione nemo sane poterit mirari. Editores autem praeter ea, quae iam attuli, probabili modo genuinam lectionem his locis restituerunt. V. 12 traditum est omnibus fortasse codicibus (de compluribus res non certa) *Λιμνόχαρις πολύφημος*, unde Barnesius, quia *Λιμνόχαρις* non est nomen huius ranae, recte fecit *λιμνοχαρής*. Idem v. 52 *τρωγλοδύνοντα* mutavit in *τρώγλοδύοντα*, quoniam haec sola forma metro convenit. — Wolfius primus v. 43 *ἀλλ' εὐθὺς μετὰ μῶλον ἰὼν προμιάχοισιν ἐμίχθην* scribendum vidit *ἰθὺς* Homericum. Neque minus probavit studium Homeri Ernestius, quum 118 *ὃ τρίτος ἦν* pro enunciato relativo accipiendum docuit. V. 74 *ἀπὸ στόματός τ' ἀγόρευσεν* Ilgenius correxit, quum antea legeretur *δ'*; neque magis adversamur, quod idem 228 nomen ranae *Φιλτραῖον* reposuit (codd. *Φιτραῖον*, *Φλιτραῖον*) i. e. *pastinacas amantem*, coll. Eustath. p. 1163. Dioscor. IV, 75. Etiam Boissonadius in edit. Homeri 1824 (ubi Ilgenii fere textum repetiit) ad expoliendum hoc carmen contulit v. 111 scribendo *ἦ πεῖρα κακὴ*, quum ante eum *ἡ* articulus vigorem sententiae plane repressisset. — Ipse autem quum magnis emendandis imparem me sentirem, parvula tantum tentavi. V. 143 optimi habent *οἵτινες — γεγόνατε*, reliqui *γεγάατε*. Neutra forma quum metro satisfaceret (id quod neglexit Buttm. Gr. Gr. II. p. 137), Frankius ex Thierschii coniectura dedit *γεγάασι*; quae emendatio aliquam veri similitudinem habet ex Hom. *H*, 159. Sed non video, quomodo tritam hanc formam corruperint librarii; mihi potius scriptum videtur *γεγάασθε*, rara declinatio ideoque per glossam *γεγόνατε* expulsa, sed quam eandem recte Hermannus reposuit ex Suida in Epigr. Hom. 16, 3; tollitque dubitationes de veritate formae Hymn. Ven. 197 *ἐκγεγάονται*. Idem nunc Bothium video posuisse re vix notata. — V. 165 etiamnunc sine metro legitur *καὶ κέρᾱ κόχλιῶν λεπτῶν ἐκάλυπτε κάρηνα*, ubi, siquidem *κέρας* de cochleae testa dici potest (quod significare videtur Achaeus ap. Athen. 2, 63b *κοχλίας κεφαστὰς* dicens), legendum est *καὶ τὰ κέρα*. De *α* producto v. Buttm. Gr. Max. I. p. 196 *). — V. 272 in libris fere omnibus inest *οὐ μικρόν με πλήσσει Μεριδάρπαξ, ὃς κατὰ λίμνην*, ubi quum *ὃς* stare debeat, cadit

*) Minus si cui haec res certa videbitur, adest alia vox *κελύφη* apud Theophrastum de testis animalium pervulgata.

lectio Barnesii *μ' ἔκπληξε Μερ.* Difficile autem est in aperta sententia veras voces reducere, nisi scribendum sit ex C. F. Hermanni coniectura *οὐ μικρόν μ' ἄγχει*, vel ita *οὐ μ' ὀλίγον πλήσσει.* — Duobus locis vicinis factum est, ut nemo codicum lectionem, quae sana esse videbatur, tentaret. In v. 277 *ὣς ἄρ' ἔφη Κρονίδης· Ἄρης δ' ἀπαμείβετο μῦθον* non id quidem reprehendo, quod vocabuli *Ἄρης* prior in thesi posita producatur (sumunt enim hoc sibi Attici epicique posteriores, cf. Spitzn. vers. her. p. 23), sed ipsam Martis personam, quippe qui dicat *σὺν' ἄρ' Ἀθηναίης, Κρονίδη, σθένος οὔτε Ἄρηος ἰσχύσει βατράχοισιν ἀρηγέμεν.* Quis enim hoc unquam exaudivit, deos Homericos tertia de se persona loqui? (Alia ratio est huius loci *Θ*, 470). Reponendum est facili mutatione *Ἥρη*, cuius mentio deae semper deorum patri adversantis quantam habeat vim comicam, nemo est quin sentiat. — Non multo post poeta cancros describit *αἰνιγματικῶς* quindecim epithetis ex eorum natura petitis; in quibus quum nihil ad veritatem non sit exactum, mireris v. 299 *δικαρήνους* vocari. Et Maittairius, quem ea de re consului, paullum a vero abfuit, quum scriberet: „Bicipites forte hic dicuntur cancri a duobus cornibus, quae ante oculos gerunt. Arist. H. A. IV, 2 [*ἔχουσι κεραίας δύο πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν μεγάλας καὶ τραχείας*]." Hinc ego statim conieci *δικέραιοι* (Anthol. IV, 111), quod postea vidi mihi iam praeripuisse Clarkium hoc uno loco laudandum. — Pluribus rursus locis aperte vitiosis quid agamus, in promptu non est. V. 127 non assequor, quid sit *καλαμοστεφέων ἀπὸ βυρσῶν*; Frankius coria *calamis obducta* putat sive ornatus causa sive ut maiorem firmitatem haberent; sed firmos videri thoraces poeta non vult, ornatum non video. Ilgenius coniecit *καλλιτρεφέων*, ut coria dicantur pinguia, quae fuerint felium bene altorum; idemque voluerunt librarii, qui in *fluy* scripserunt *καλῶν εὐτρεφέων*. Sed ea ratio est contortior; verum autem videtur *καλῶν*, ita ut alterum adiectivum accedat, quod investigandum est. — Eodem mode torquet, quum sententia minime sit obscura, v. 80, ubi quod editur *ἀμφοτέροις* (nisi totam de codicibus disputationem reiicias), nihil est nisi coniectura in *hmxy* inventa; nam reliqui habent *πᾶσιν ὁμῶς*, variique emendandi conatus cernuntur in *A πᾶριν· ὁ μὲν*, et *z πᾶσιν ἁπλῶς*. Ad sententiam quidem *ἀμφοτέροις* plane sufficit; sed unde tantum errorem natum dicas? Fortasse in *πᾶσιν ὁμῶς* latet participium aliquod (— *μιέ-νοις*). — V. 224 in libris et scriptis et editis ita legitur *χορδῇσιν λιπαρῇσι τ' ἐπορνύμενος λαγόνεσσιν*, quae vellem editores essent interpretati. Ego dubitanter, sed ut aliquid tamen proficiamus, rescribo *τε πειρόμενος*: iacebat perfossis hasta intestinis pinguique inguine. — Contra prorsus insanabilis videtur v. 232 *Λειχοπίναξα δ' ἔπεφνεν ἀμύμων Βορβοροκοίτης*; nam quae emendatio in editionibus et in *hlmxy* legitur, eam

sequentia non ferunt, ubi *Πρασσαῖος* (rana) *ἐπιδὼν ποδὸς εἴλκυσε νεκρὸν ἐόντα, ἐν λίμνῃ δ' ἀπέπνιξε.* Sed de hoc loco postea etiam erit dicendum. — Denique v. 261 adhuc proposita est Lycii coniectura *κατέδυ δ' ὑπὸ βένθεσι λίμνης*, quum in codd. corrupte exstet *ἀλλ' ἔδυνε βένθεσι λίμνης*; ex quo coniicio, quod et sententiae satisfacit neque a litterarum ductibus longe abest *ἤρωα* (nam unde plures?) *κρατερόφρον', ἔδυ δ' ἐν βένθεσι λίμνης.* — Unus ex hoc genere restat locus, quem tam desperatum iam Chalcondylas habuit, ut fere ex ingenio dederit vv. 262—267 etiamnunc in editionibus manentes. Leguntur autem in codicibus haec:

Ἦν δέ τις ἐν μυσὶν Μεριδάρπαξ, ἔξοχος ἄλλων,
Κρείοντος φίλος υἱὸς ἀμύμονος Ἀρτεπιβούλου,
οἵκαδ' ἰὼν πολέμοιο μεταστρεῖν παῖδ' ἐκέλευσεν·
αὐτὸς δ' ἑστήκει γαυρώμενος ὡς κατὰ λίμνην —
οὗτος ἀναρπάξαι βατράχων γενεὴν ἐπαπείλει·
καὶ ῥήξας καρύου μέσσην ῥάχιν εἰς δύο μοίρας
φράγδην ἀμφοτέροισιν ἐν ὤμοις χεῖρας ἔθηκεν·
οἱ δὲ τάχος δείσαντες ἔβαν πάντες κατὰ λίμνην·
καί νυ κεν κτλ.

Varietates minores praetermitto; illud annotandum est, post v. 2 in *b* addi *ὄρχαμος ὢν ἄλλον μιμούμενος αὐτὸν Ἄρηα* eundemque versum mutilum atque rursus correctum in *lxy;* quem spurium iudico non minus quam eum, qui in *z* adiungitur post 5 *ἀγχοῦ δ' ἔστηκεν μενεαίνων ἴφι μάχεσθαι.* Ad singula v. 3 *οἵκαδ' ἰὼν* mutandum est ita, ut versus initium capiat a pronomine *ὅς;* igitur fortasse *ὅς κατιὼν* vel *ὅς τότ' ἰὼν.* Sequenti v. verbis *ὡς κατὰ λίμνην* comparatio aliqua contineri videtur; facile ad litteras, sed fortasse subtilius quam pro hoc carmine suspiceris *ὡς ποτ' Ἀχιλλεὺς* (*Λ*, 600) vel *ὡς Ἀγαμέμνων.* Tum *γενεὴν ἐπαπείλει* ex *z* scripsi; reliqui *γένος ἐπηπείλει.* Vv. 6. 7, quos iam Ilgenius poetae reddiderat (sed sine consilio cum vulgata permixtos), negant Matthiaeus et Boissonadius posse intelligi; ego adoptata emendatione cod. *z* cum Ilgenio *ἀμφοτέροισι κενώμασι*, locum sic accipio, ut Meridarpax iuglandis fractae cavis duabus testis (*κενώμασι*) manus suas inseruerit (*φράγδην?*) et sic quasi cestu armatus tanquam pugil ranas aggrediatur. Ceterum vulgata lectio quomodo orta sit, in aperto est; omisit librarius quae non intellexit, versusque consarcinavit pannis extrinsecus petitis, ut v. 267 colorem traxit e v. 292. —

Atque haec quidem de vitiis, quibus codex ille, ex quo nostri omnes fluxerunt, inquinatus fuit; quibus accurate consideratis nemo facile dubitabit, hunc librum aetati satis recenti ascribere; calami enim errores, glossae, versus numeris carentes, totique loci nulla arte in sententiarum seriem conciliandi indoctum clare produnt hominem Graecaeque linguae imperitum.

Byzantina autem aetate, ut iam supra dixi, conscriptum esse exemplar, praeter glossas barbaras etiam catervae vitiorum ex nova pronunciandi ratione profectorum suadent. —

Breviter hic etiam annotandum est de inscriptione carminis, de qua iam antiquo tempore dubitasse videntur homines docti. Suidae quidem codices s. v. *Ὅμηρος* exhibent duo nomina *βατραχομαχία μυοβατραχομαχία*, ex quibus alterum errore natum est; sed idem v. *Πίγρης* vulgarem formam habet, quem secuta est Eudocia p. 358. Apud Plut. vit. Hom. 24 *βατραχομυομαχίην* R^{a}, *βατραχομαχίην* R^{b}. Codex Homeri Venetus A ap. Bekk. p. 1 extr. sic: *βατραχομαχίαν ἢ μυομαχίαν*. *Μυοβατραχομαχία* ex codd. habent *fh*lyz* et Flor. ap. Bandinium plut. 32, cod. 50, quibus accedit Etym. Voss. ad Et. 667, 39. Ceteri codices nostri cum Herod. V. Hom. et Plut. Malign. Herod. 43 tuentur vulgarem formam, quae ideo mihi retinenda videtur, quia vox longior ridiculum habet splendorem et quia inversus ordo nominum (*μυοβατρ.*) grammatici hariolationem redolet, qui primas partes murium esse animadverterat. Plutarchum autem in Agesilao p. 604 *μυομαχίαν* brevitatis tantum causa dixisse liquet.

§. 7. *Recensentur variae de auctore carminis sententiae.*

Delapsa iam paullatim disputatione supra eam aetatem, qua codicem archetypum scriptum esse suspicamur, non est hoc loco consistendum, sed altius etiam descendamus necesse est. Prius enim absolvi disputatio critica nequit, quam et a quo et qua aetate et quo consilio scriptum sit carmen reppererimus; nam nisi de his rebus aliqua saltem probabiliter comperta habeas, multa manebunt obscura, multa dubia, multa plane non intellecta.

Primum igitur quaerendum est, quid de origine Batrachomyomachiae traditum sit; de qua re summa est et veterum scriptorum et recentiorum dissensio. Ac de Homero quidem quem ferunt auctorem, brevis potest esse mentio; neque enim nunc fere est, qui aliquid tribuat auctoritatis illi qui conscripsit vitam Homeri nomine Herodoti venditatam, ubi summum vatem quum Bolissi esset composuisse id carmen animi causa traditur. Sed tamen haec opinio fidem habuit in vulgus non exiguam, ut videtur, ex antiquiorum temporum memoria; quo factum est, ut etiam Statius, Martialis, Fulgentius carmen Homero attribuere nihil dubitarent. Verum credulitatis populi et obtusi iudicii non fuisse socios acutioris viros ingenii quum per se satis est credibile, tum testes habemus locupletissimos grammaticos Alexandrinos eosque qui ab horum disciplina pendent, qui dum tacent, ut hoc utar, loquuntur. Sic enim recte mihi videor interpretari eorum silentium, qui carminum Homericorum studiosissimi nihil unquam, quod ad nostram quidem aetatem sit servatum, de Batr. commemorarint, eos carmen illud plane abiudicasse ab Homero

indignumque habuisse, quod principis poetae nomen prae se ferret. Nam de Suida quidem, qui secum ipse pugnat, quum s. v. Ὁμήρος Homeri esse dicat Batr. eandemque s. v. Πίγρης huic adscribat, sic statuendum est, eum iudicio nullo adhibito quae quoque loco, unde haurire licuit, invenerit, ea transscripsisse nihil moratum cuiusque scriptoris fidem et auctoritatem. Quod autem ipsum Aristotelem nonnulli in eorum numero retulerunt, qui id carmen ab Homero profectum crediderint, magna temeritas est; ille enim si Margitem ut carmen Homericum affert in Ethic. VI, 7, 2. Poet. 4, quid hoc ad Batr.? Inter utrumque carmen enim quae intercedere visa est cognatio, ea tantum in argumenti ludicri externa quadam similitudine cernitur; quaeque supersunt de Margite frustula, ea si cum Batr. indole comparaveris, ne eidem poetae utrumque carmen ascribamus, valde dissuadere videntur. Sed quidquid id est, illud constat, in scriptis Aristotelis locum nunc exstare nullum, ubi ad Batr. vel digito, ut aiunt, monstrare videatur. Post renatas autem litteras quum efflorescceret Graecorum studium scriptorum, carmen hoc inprimis lectitatum ad Homeri nomen referre ex fide illorum quos posui veterum non dubitarunt; eamque sententiam plurimi iique principes litterarum existimatores diu acriter defenderunt, ex quibus unum satis erit nominasse Philippum Melanthonem; omnium enim vel rationes exponere vel nomina referre hoc loco nihil attinet, quippe de quibus Barnesius in praefatione copiose disseruerit. Attamen ne tum quidem recti iudicii defuerunt viri, qui contradicerent, ut Henr. Stephanus. Si, inquit, Batr. ego suspectam non haberem, Iliadem et Odysseam, si quid iudicio valeo, suspectam habere deberem. Nostra autem aetate, postquam Wolfius de Homero scripsit, nemo ausus est illem sententiam amplecti, quam qui legitima quaestione instituta damnandam censuerunt, operam dederunt ad id efficiendum, quod nemo nunc dubitaverit *).

Relicta igitur huius inveteratae opinionis levitate, quae ex eo haud dubie orta est, quod carmen ad exemplar Iliadis confictum esse apparebat, circumspiciamus, quid, qui dissenserunt, persuasum habuerint. Et quum pauci tantum per totam antiquitatem huius carminis exstent testes, adest Suidas, qui s. v.

*) Diligenter *de Batr. Homero abiudicanda* egit *A. de Schlieben Lips.* 1816. In eandem sententiam quae protulit *J. V. Rothius de Homero et Batr. Lips.* 1788, dubito an serio hic rem egerit; ita risum excitat libellus. *G. F. D. Goess de Batr. Erlangae* 1789 pervulgata omnia enarravit neque sententiam suam de hoc carmine Alexandrino alicui poetae tribuendo subtilioribus argumentis confirmavit. Eius tamen opera spurcissime abusus est *J. C. Vollbeding*, qui in *Specimine emendatt. Batr. Helmstadiae* 1790 nihil aliud nisi proterva fronte magnam illius disputationis partem ad verbum exscripsit. — Hos mihi libellos alibi frustra quaesitos Theod. Moebius ex bibl. Lipsiensi humanissime transmisit.

Πίγρης haec tradit: *Πίγρης Καρ ἀπὸ Ἁλικαρνασσοῦ, ἀδελφὸς Ἀρτεμισίας τῆς ἐν τοῖς πολέμοις διαφανοῦς, Μαυσωλοῦ γυναικός· — ἔγραψε καὶ τὸν εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον Μαργίτην καὶ βατραχομυομαχίαν**). Hoc loco duas Artemisias Cariae reginas confundi iam notavit *Welandius de praecipuis parodiarum Hom. scriptoribus* p. 22; nam verba *τῆς ἐν τοῖς πολέμοις διαφανοῦς* non quadrant ad Mausoli coniugem Demosthenis aequalem, sed ad maiorem illam in Persarum bello celebrem referenda sunt. Atque huius ipsius fratrem a Suida esse significatum, recte Welandius l. l. inde conclusit, quod in gente minoris Artemisiae, de qua v. Clintonis Fast. Hell. pag. 298 sqq. ed. Krueger, Pigretis nomen non invenitur. Cavendum autem est, ne quis ex ipso Herodoto VII, 98 cognoscere sibi videatur hunc fratrem, ubi inter duces militum auxiliarium Caribus praefuisse *Πίγρης ὁ Σελδώμιου* narratur**); nam Artemisia *Λυγδάμιος θυγάτηρ* fuisse ab eodem scriptore perhibetur. Ad Suidae testimonium de Pigrete accedit Plutarchus in libello de malignitate Herodoti, qui in capite ultimo haec scribit: *τέλος δὲ καθημένους ἐν Πλαταιαῖς ἀγνοῆσαι μέχρι τέλους τὸν ἀγῶνα τοὺς Ἕλληνας, ὥςπερ βατραχομυομαχίας γενομένης Πίγρης ὁ Ἀρτεμισίας ἐν ἔπεσι παίζων καὶ φλυαρῶν ἔγραψε, σιωπῇ διαγωνίσασθαι συνθεμένους, ἵνα λάθωσι τοὺς ἄλλους, αὐτοὺς δὲ Λακεδαιμονίους ἀνδρίᾳ μὲν οὐδὲν κρείττονας γενέσθαι τῶν βαρβάρων, ἀνόπλοις δὲ καὶ γυμνοῖς μαχομένους κρατῆσαι.* Quae verba ut exscriberem, effecit Welandius, qui l. l. ex his evincere studet, carminis formam saltem, quae nobis servata sit, non posse repeti a Pigrete auctore***). Idque quum ex verbis, ut sunt in codicibus, ita demonstret, ut illa *ὥςπερ βατρ. — ἵνα λάθωσι τοὺς ἄλλους* non ad Graecos (*τοὺς Ἕλληνας*) referat, sed ad *βατράχους* et *μύας* ex voce *βατραχομυομαχίας* eliciendos, descriptionem pugnae Plataeensis comparari putat cum simili facto, quod esset in Pigretis carmine; comparationem autem ita definit: pugnae alicuius commissae ab aliis aliorum inscientiam. Quae explicatio si iam displicet propter structurae verborum salebras paene intolerabiles, quae ex ea necessario sunt consequentia, magis etiam nos debent offendere. Statuendum enim est, id quod fecit Wel., quia in nostro carmine nihil insit, ad quod tertium

---

*) Haec totidem verbis apud Eudociam p. 358 leguntur. Paene praetermisi qui eadem fere dicit, Tzetzem in Exeget. p. 37 *τήν τε Μυοβατραχομαχίαν, ἣν τινες Πίγρητος εἶναί φασι τοῦ Καρός.* Imm. Bekkerus in edit. Schol. Ven. ex codice Veneto p. 1 extr. ad vocem *Μαργίτην* annotat: *οἱ δὲ λέγουσι τήγρητος τοῦ καρὸς margo rubrica*, quae fortasse ad sequentem vocem *βατραχομαχίαν* pertinent.

**) Accidit hoc Lauero in Hist. Poes. Hom. p. 28.

***) Eandem fere sententiam expressit Lauerus in iis, quae loc. cit. transiens de hoc carmine dixit.

illud comparationis, quod requirit, referatur, Pigretis carmen periisse, aliud ab alio compositum nobis esse servatum; quae res quantam per se spectata habeat dubitationem, in aperto est. Omnes autem difficultates, quas sibi creavit vir acutissimus, facillima removentur emendatione Reiskii, qui ante vocem *Πίγρης* inseruit *ἦς*, melius quam quod Wyttenbachius *ἦν*, quia illud antecedentis vocabuli *γινομένης* terminatione facile hauriri potuit. Quod si probaveris, comparatio Plutarchi in eo cernitur, ut proelium Plataeense commissum a Lacedaemoniis sit insciis Graecis reliquis, ita ut pugna gravissima et in qua totius Graeciae libertas in discrimen vocabatur, similis esse videretur nescio cuius rixae mures inter et ranas aliquando ortae. Verum ne quis forte aegre ferat, Plutarchum hoc loco addidisse illa *ἧς Πίγρης — ἔγραψε*, quippe quae nihil ad eam quam tractet rem facere videantur, notum est quam saepe hic scriptor doctrina uberrima affluens talia ostentandae eruditionis gratia interponat; hoc autem loco ipsum quoque nomen Artemisiae, quam paullo ante commemoravit, et comparationis illius et Pigretis memoriam afferre potuit. Ab hac igitur parte si nihil obstat, quominus Pigres carminis huius auctor a Plutarcho et a Suida recte nuncupetur, aliud etiam accedit re quam specie multo gravius. Inscriptio enim est in codice editionis Venetae (fortasse etiam in pluribus editionibus nunc ignotis, nisi illum ipsum librum significare voluerunt H. Stephanus Schediasm. VI, 22, Labbaeus Bibl. Nov. Mss. p. 289, Nunnesius Phryn. p. 13) haec: *Ὁμήρου Βατρ., ἐν δέ τισι Τίγρητος* (l. *Πίγρητος*) *τοῦ Καρός*. Eam unde ortam arbitramur? Numne errore? An potius ex antiquitate servatam iudicabimus? Nam iis quidem temporibus, ubi barbaries Graecas litteras tenebris obrutas et squalore obductas tenebat, nemo fere ita doctrina polluit, ut de coniectura hoc addere auderet, nemo tam instructus auxiliis fuit, ut plurium codicum auctoritate uti liceret. Ut libere fatear, mihi haec verba *ἐν δέ τισι* a grammatico quodam vetere scripta videntur, qui carmen hoc recensuit; erant autem sine dubio in archetypo et casu tantum non in omnes libros pervenerunt. Haec sententia si non plane a vero aberrat, videmus et Plutarchum et Suidam ex communi fonte cum libris mss. hausisse, famamque fuisse haud spernendam, cui quum nihil plane adversari videatur, id solum movet dubitationem, quod nihil aliunde de Pigrete traditum exstat. Mirandum igitur non est, si nemo recentiorum Pigreta carminis eius auctorem graviter tueri ausus est, quod unum scio Welckerum fecisse in Cyclo epico I. p. 414, eam, ni fallor, ob causam, quod versimiliora quae possent proferri in promptu non erant.

Sed ut de omnium recentiorum saltem sententia sit dictum, restat tertium genus eorum, qui reiectis et Homeri et Pigretis nominibus satis habuerunt de aetate, qua scriptum sit carmen,

aliquid coniicere. Et Wolfius quidem in Prolegg. p. 89 Aeschyli aetatem eius conditioni maxime accommodatam putavit; sed quibus ductus sit rationibus, non addidit. Adstipulatus autem ei est Vossius in Schedis critt. I. p. 292. Deinde R. Payne-Knight Proll. ad Hom. p. 6 ed. Lips. Attico cuidam poetae prioris aevi potius tribuere carmen vult propter cantum galli gallinacei apud Graecos non multo ante noti. Idem vero quum negasset auctorem ex Asia fuisse oriundum, quoniam ibi teste Herod. 5, 58 pellibus usi essent ad scribendum, apud hunc autem v. 3 δέλτοι commemorarentur, recte monuit Welandius l. l. p. 24, ex Psammetichi tempore, id est seculo sexto, σπάνιν istam βίβλων cessavisse, ita ut ne Iones quidem amplius usi sint pellibus. Sed ut idem Welandius nescire se fassus est, quo tempore carmen sit conditum, ita plerique editores huius seculi de hac re tacuerunt, desperantes scilicet, certi aliquid erui unquam posse. Idque ipsum aperte dixit Bernhardyus in Hist. Litt. Gr. II. p. 128. 132, qui tamen et ipse Atticam aetatem iam ad finem vergentem in elocutione carminis facile deprehendi adiecit. — Postremo loco prodeat Hermannus, quem etsi non ab omni parte probo, unum tamen recta via ingressum esse in hac re diligentius investiganda apparet. Qui vir summus in disputatione nobilissima de aetate Orphei Argonauticorum p. 763 haec dicit: „Erunt fortasse, qui mirentur, quod Batr. nullam fecerim mentionem. Quae quum non esse recentior expeditione Xerxis existimetur, tot tamen correptionum exempla habet, ut sententiam nostram mirifice labefactare possit. At quae in hoc carmine reperiuntur correptiones, non modo excusationem habent tum ab ludicro argumento, tam a poetae inscitia, sed, quod gravius est, tantum abest, ut iis, quae ante disputavi, repugnent, ut ea non mediocriter confirmare videantur. Etenim vel leviter hoc carmen consideranti planum esse debet, tot illud tantisque interpolationibus esse corruptum, ut penitus immutatum censeri oporteat. Tanto illud studio lectitatum aliquando tractatumque est. Hanc ob causam ab isto carmine, ut a ferragine versuum diversissimis aetatibus factorum, plane abstinet nostra disputatio.“ Haec igitur sententia, quam superiori disputatione ex parte refutasse nobis videmur, quid veri habeat, quid falsi, paullo accuratius exploremus. Inquirendum autem est, ut de carminis aetate et origine certiores fiamus, in eas potissimum res, quae ipso poemate continentur; eaque colligenda sunt vestigia, quibus si insistas, terminos saltem constituere finesque circumscribere possis, intra quos coniectura necessario se tenere debeat.

§. 8. *De aetate carminis ex rebus commemoratis ut ex metrorum linguaeque ratione definienda.*

Iam igitur quum bipartito sit disputandum, priore loco ex rebus et in carmine commemoratis et ad carmen pertinentibus

quid possit probabiliter elici, experiamur. Perpauci quidem sunt loci, quibus tempus illud indicetur, ante quod scriptum carmen esse non potest; sed tamen gallum gallinaceum (v. 191), quem sexto demum ante Christum seculo annotavit Payne-Knight l. l. in nummis argenteis Samothracum et Himerensium effictum esse, omnia testantur non ante id tempus ex Persarum regno in Graeciam esse apportatum; de qua re v. Herm. Antiq. priv. § 16, 19. Neque minus v. 3 δέλτοι, quae satis iam tritae esse debebant, si in carmine parodico appellabantur, evincere videntur, non ante Psammetichi tempora auctorem vixisse, cf. Valcken. ad Callim. eleg. p. 246 *). Praeterea quod mentio fit tropaeorum v. 159, ea res quum apud Homerum nondum exstet, tamen quin seculo sexto in usu iam fuerit, nihil est dubium; neque magis nos adiuvat quod scimus, illam locutionem v. 74 ἀπὸ στόματος ἀγόρευσεν ex usu ludorum dicendi esse repetitum; cf. Herm. Antiqq. priv. § 35, 8. Eae quoque mentiones, quae vitae cultum elegantiorem ostendere videntur, ut cibi delicati vv. 35 – 39 enumerati, nihil ad hanc rem faciunt; talia enim Stesichorus quoque nominat fragm. 2 Delectus. — Contra plus valere videntur ad aetatem carminis definiendam multae variaeque deorum cavillationes per omnem tenorem conspicuae, quibus vanorum eos instar simulacrorum esse neque ulla dignos reverentia aperte declaratur. Haec enim protervitas et sacrorum negligentia, omniumque quae ad deos rite pieque colendos pertinent, acerbissima irrisio cadere non potest in eam aetatem, qua simplex etiam et incorruptus animus religione imbutus erat; neque facile ante Xenophanem Colophoninm exstitisse quemquam Graecorum arbitror, qui data opera superstitiosam illam, ut videbatur, fidem antiquarum fabularum radicitus ex animis hominum evellere sit conatus; atque hic ipse notum est omnibus, reprehensione illa vehementissima quantum sibi invidiae onus conflarit. Itaque si in istius philosophi tempora (circa olymp. 56) vel paullo post huius carminis originem incidere statuerimus, optime cum hac ratione conveniet universum hoc genus epicae poeseos deridendae, quod ibi demum par erat et studio excoli et apud intelligentes laudem mereri, ubi flore iamdudum carminis heroici delibato poetae postumi nihil nisi marcescentes quasi carpebant frondes. Quod scimus factum esse illo tempore, quo κτίσεις et genealogicas narrationes multi, qui epicos se volebant, hexametro versu incluserunt. Probo igitur iudicium Welckeri, qui ad Schwenckii librum de mythologia ex nominum significatio-

*) Possit aliquis suspicari — et suspiciones in carmine parodico late patent — voce δέλτοισιν poetam significasse Antimachi Colophonii δέλτους, quod carmen eius incerta fide tradit Athen. VII. p. 300 D; conf. Schellenberg Ant. Col. reliqq. p. 31. At ego talia non ausim, quia res est multo obscurior neque ad istam aetatem carmen hoc puto deprimendum.

nibus enucleanda p. 333 hoc posuit: „Vielleicht ist die Batr. mit eine Satire gewesen auf die ohne Zweifel in den spaetern epischen Gedichten bis zum Uebermass ausgesponnene Namenspoesie.“

Sed his perpensis si in eam sententiam devenerimus, non ante sextum fere seculum compositum esse carmen, circumspiciendum est, ad quam aetatem tute liceat descendere. Atque hic quoque poeseos epicae conditio digitum quasi ad terminum collocandum intendere nobis videtur. Nam quum poesis epica, ut modo dixi, et poetarum sterilitate ingenii et universa illius aevi ratione et voluntate paene in contemptum venisset, exstitit Antimachus Colophonius, vir eruditione excellentissimus et qui summa industria summoque studio condidit magnum illud volumen Thebaidis. Ab hoc nova prorsus exorsa est aetas carminis heroici, qua de re egregie disseruit Naekius ad Choeril. p. 67 sqq. Contemplanti autem mihi, quantam hic poeta vim habuerit ad leges poeseos epicae commutandas, Batr. nullo pacto post eum scribi potuisse videtur, quippe in qua nullum mutatae huius conditionis appareat vestigium. Illud enim nemo non concedet, poetam parodum, qui aperte ceteros cavilletur, ea semper spectare, quae in ipsius tempora cadere possint; ideoque si quis Antimachum vel eius sectatores notare vellet, ei longe aliter rem fuisse instituendam. Hoc quoque difficile fuerit, licet credulos in his rebus fingas Graecos, Homeri nomine inscribere carmen post Platonis tempora natum. Neque id fere patitur Alexandri regis auctoritas, quem antiquissimum huius carminis testem agnoscere vix dubito; quem quum superato Dareo Antipatri pugnam cum Agi rege commissam comperisset, hoc iocatum esse narrat Plutarchus in Agesil. p. 604 *Ἔοικεν, ὦ ἄνδρες, ὅτε Δαρεῖον ἡμεῖς ἐνικῶμεν ἐνταῦθα, ἐκεῖ τις ἐν Ἀρκαδίᾳ γεγονέναι μυομαχία.* Qui iocus ut Alexandri moribus convenit, ita omni sale careret et obtusiorem quasi haberet mucronem, nisi ad notum aliquod carmen respexisse regem diceremus. Sed hic locus unus est, quo ante Caesaris Augusti quidem aetatem carmen certe commemoratur; nam quod Barnesius cogitavit, Callimachum „multum in his poematiis versatum fuisse“, vix refutatione dignum est. Attulit autem v. 10, ubi codex pessime interpolatus habet *λιχνὸν παρέθηκε γένειον*, Alexandrini illius epigr. fg. 19 *αἴθε γὰρ ὦ κούροισιν ἐπ' ὄμματα λιχνὰ βαλόντες*, cf. Valcken. Eleg. Callim. p. 217; v. 51, ad quem aperte ait alludere Callim. hymn. Cer. 111 *καὶ τὰν αἴλουρον, τὰν ἔτρεμε θηρία μικκά*; denique ad v. 179 hunc eiusdem poetae *πολλάκις ἐκ λύχνου πῖον ἔλειξεν ἔαρ* — quae omnia eiusmodi sunt, ut nihil probent. Multo maiorem speciem imitationis habet versus, ab Apollonio de Syntaxi IV, 2. p. 308 Bekk. inter Homericos servatus sine nomine auctoris, *καὶ γὰρ ὅτε πρώτιστον ἐμοῖς ἔπι δέλτον ἔθηκα | γούνασι*, quem

Schneidewinus me docuit esse ex Callimachi *Αἰτίοις*. Sed ipse Batr. v. 3 *ἦν νέον ἐν δέλτοισιν ἐμοῖς ἔπι γούνασι θῆκα*, nisi omnes sales ab hoc carmine alienos habeas, parodia contineri debet, ita ut ex aliquo carmine iam sit expressus; ad illum igitur potius fontem Callimachus accessisse putandus est. Berglerus in praef. Odysseae Amstel. 1707 p. 15 contendit versum 201 ex Aristoph. Nubb. 165 arreptum esse, ubi verba sunt *σάλπιγξ· ὁ πρωκτός ἐστιν ἄρα τῶν ἐμπίδων*. Sed praeterquam quod illo loco alia res agitur, metaphoram istam de cantu culicum usurpatam Maittairius iam annotavit ex Antholog. VII, 8 *ὀξυβόαι κώνωπες* et fab. Aesop. *κώνωψ σαλπίσας*. Quae autem ratio murium pugnae intercedat cum loco in Plauti Bacchidibus IV, 8, 48, me plane fugit. Apud Horatium demum Sat. 2, 6, ubi lepida est narratio de muribus domestico et agresti, significationem aliquam, sed dubitanter, Batrachomyomachiae agnoscere videor, his locis inter se collatis, Horatii v. 107 *haec ubi dicta Agrestem pepulere, domo levis exsilit*, cum Batr. 66 *ὁ δ' ἔβαινε τάχιστα — ἅλμασι κουφῶς*; Hor. 110 *ille cubans gaudet mutata sorte* et Batr. 67 *καὶ τὸ πρῶτον ἔχαιρεν*; Hor. 111 *quum subito ingens Valvarum strepitus lectis excussit utrumque* et Batr. 92 *ὕδρος δ' ἐξαίφνης ἀνεφαίνετο*. Quae ipsa si quis magis casu quam imitatione similia esse dicat, ne ego quidem magnopere adversor.

Haec habui, quae meo iudicio ad aetatem carminis quantum licet constituendam ex rebus possent erui, quorum si quid praetermisi, veniam me impetraturum spero, qui ad hoc negotium accuratius tractandum primus accesserim.

Sequitur, ut de proprietatibus sermonis et versus dicam. Ac de prosodia et de numeris versuum dicenti sic in universum erit statuendum, ut imitatio Homeri per totum carmen conspicua etiam in his rebus emineat. Ubi igitur non solum formulae Homericae inveniuntur totique versus, verum etiam Homericum eloquendi genus sonat, Homerica rerum descriptio dominatur, in eo carmine quaecunque ad Homerici versus leges conformata sint, ea si non laudari artisque nomine celebrari, habere saltem excusationem par est. Videamus igitur ex iis locis, quos Hermannus in disputatione Orphica statuit, quid de numerorum conformatione indeque de carminis huius aetate sit concludendum.

Primum quaeritur de caesura trochaica quarti pedis. Ea quum apud Homerum sit rarissima, quia debilem reddit versum, in hoc carmine nullo loco invenitur nisi ita excusata, ut fere non exstet. Aut enim enclitica vox eam sequitur, quae arcte coniungitur cum antecedenti, quod factum est 63 *κράτει δέ μιν*, 207 ex Homero desumto, 241 *ἑλὼν δέ τε*; aut praecedit vox monosyllaba ad sequentia pertinens, ut 65 *ὁ δ' ἔβαινε*. Praeterea versus 211 *ἤρπε δὲ πρηνὴς, ψυχὴ δὲ μελέων ἐξέπτη* offensionem non habet, quia statim sequitur caesura mascula

pedis quinti; cf. Herm. p. 693. — Neque magis reprehendendus est poeta in productionibus brevium syllabarum vi caesurae effectis. Omnia enim ad exempla Homerica conformata sunt; de qua re quum Spitznerus in libro de versu Graecorum heroico copiosissime disputaverit, hoc loco abstinere possum ab uberiori rei tractatione. Complura autem exempla addito ν paragogico removentur, quod etsi in optimis codd. plerumque desideratur, tamen ex usu communi semper addendum est; cf. Spitzn. p. 16. Corrigendus est v. 294 ὅς ῥα τότε βατράχοισιν ἀρωγοὺς εὐθὺς ἔπεμψεν, ubi quum optimi praebeant τόν' ἐν βατρ., hoc tenendum erit, quia et constructio exquisitior est (cf. de ἐν praepositione apud verba motum declarantia Lysiam 19, 43 ὁ ἐν Σικελίᾳ πλοῦς, Arrian. Anab. 1, 19, 3 ῥιπτοῦντες σφᾶς ἐν τῇ θαλάττῃ, Thuc. 4, 52 ἐν Ἀμβρακίᾳ ἀπῆσαν) neque Spitznerus certe simile productionis exemplum attulit. Contra stare debet lectio v. 198 ἑπεπείθοντο θεοὶ ἄλλοι (de quo loco dixi pag. 12) cf. Spitzn. p. 59; 117 ἣν παγίδα καλέουσι *).

In hiatu vitando aut admittendo item Homeri normam sequitur hic poeta. Nam quum in arsi pedis hiatus omnino non efficiatur (Herm. Orph. p. 720), nonnulla exempla sunt in diaeresi bucolica: 19, 51 (cf. *K*, 93), 71, 141, 204, 205 (ubi male *b* γαστέρος), 268, v. Herm. Orph. p. 726 sqq.; et post tertium trochaeum 192, ubi falso *b* ἀλγοῦσαν, 303; de qua re v. Spitzn. p. 142. Insolita videri haec possunt, ubi οἱ dativus hiatum efficit, vv. 246, 238, 71, 268; sed hic poeta nisi ipse alicunde habuit suspicionem digammatis Aeolici, quo hiatus ille evanescit, certe sensu quodam et consuetudine ductus Homeri exemplum impune imitatus est. Idem videtur cadere in voces ἔργον 272 (ubi μέγα ἔργον est locutio Homerica ω, 426) et ἕκαστος 167; hanc enim licentiam etiam poetae Alexandrini sibi concesserunt, Gerhard Lectt. Apoll. p. 172. — Etiam v. 252 ἐς πόδα ἄκρον, ubi editores nonnulli cum ποδὸς, defenditur exemplis a Gerhardio l. l. p. 173 allatis *Δ*, 435. *I*, 189, 524. — V. 132 ἦσαν ἔνοπλοι stare debet secundum ea, quae attulit Gerhard. l. l. p. 157. Removemus igitur quamvis facilem coniecturam Barnesii ἐνόπλιοι, neque minus quod Frankius tacite dedit ἔστιαν ἐν ὅπλοις. — Restant denique duo versus, quorum alter alterum sustinet, 46 καὶ πτέρυγος λαβόμην καὶ οὐ πόνον ἴκανεν ἄνδρα et 196 εἰσὶ γὰρ ἀγχέμαχοι, καὶ εἰ θεὸς ἀντίον ἔλθοι. In posteriore Gerhardius l. l. p. 160 cum aliquot codd. εἰ καὶ vult secutus Hermannum ad Orph. p. 728, qui suspicionem vitii vix abesse dixerat, si καὶ in thesi ante vocalem produceretur; corrigitque

*) Spitznerus p. 62 de hoc loco Nisi putas, inquit, παγίδ' ἀγκαλέουσι legendum esse, ex eo, quod nominis proprii quasi vicem tenet, excusationem loco petere possis. Priorem ego medelam reiiciendam puto, quoniam ipse Spitznerus p. 21 multa exempla productae litterae α attulit huic non dissimilia, ut Ψ, 40.

multa, ut Hom. *N*, 316, Quint. I, 606, VI, 432, XI, 252, *κ*, 510, *τ*, 174, alia. Cui ego nunc obsequendum non puto, sed in librorum bonorum lectione perstandum, donec hae quaestiones ad certum exitum pervenerint. Omnino autem animadvertendum est, aliis quoque locis valde fieri dubium, quibus finibus circumscribenda sit regula illa Hermanni, quum Hymn. Ven. 13 Ruhnkenii demum coniectura *καὶ* in thesi productum sit sublatum; neque magis haec res efficere videtur, ut sit spurius Hymn. Cer. 424. Vide etiam Goettl. ad Hes. Th. 250. Hermannus enim quum eam legem scripsit, Alexandrinam aetatem vel certe id tempus respexit, quo poesis epica arte quadam certis regulis constituta contineri coepta est, non eam Homero propiorem, sed decrescentem iam et quodammodo rudem, cui hoc poema ascribi necesse est. In eadem sententia video esse Naekium ad Choeril. p. 73.

Venio ad correptiones Atticas; in quibus si Hermannus sententiam de hoc carmine prolatam maxime niti dicat, ego non possum non mirari. Nam quum usus correptionum in hoc carmine sit frequentissimus, non video, qui magis totum carmen discerpere eam ob causam velimus, quam propter id ipsum ei aetati tribuere, in quam cadere hanc licentiam constat. Sed ne quis temere nos id affirmare putet, singula breviter recensebo, ex quo facile apparebit, raro admissum aliquid in hoc genere esse, quod usui Homerico repugnet. In initio vocabulorum necessaria est correptio in iis vocibus, quae aliter in versum heroicum includi nequeunt: 36, 63, 80, 96, 159, 59; cf. Orph. p. 756; itemque Homericis exemplis excusata sunt, quae leguntur 40, 91, 101, 145; Spitzn. p. 93. Nec minus ex Homero venia datur hisce: 230, 234, 243, 30, 188, 180. Unum, quod offendere possit, est 212 et 255, ubi nisi legas *ὀξυαχοίνῳ*, excusationem petere possis et a nomine immutabili et ab Hom. *ε*, 237, Hes. Opp. 589. — Deinde in mediis vocabulis Homeri exemplum imitantur v. 28 *πατρός Υ*, 383; 257 *τετράχυτρον Ω*, 324 (aliis autem locis voces, quibus *τετρα* praefixum est, primam producunt); 303 *ἱτρώποντο*; 240 *ἔχοιτε*; neque magis purgatione eget v. 19 *ἀνεθρέψατο* propter similia multa Homeri et hymn. Hom. 25, 7. Ex nomine proprio excusationem habet 226 *Πτερυόγλυφον*. — Contra praeter Homeri aliorumve superioris aetatis epicorum consuetudinem syllabae ante mutam cum liquida corripiuntur in his: 240 *ἐξετύφλου*, 88 *κατέτρυζε*, 216 *ἔτρωσεν*, 69 et 76 *ἐκλύζετο*, 126 *κατέτρωξαν*. Sed ibi tamen alia in eisdem litteris exstant Homerica; simili autem plane carent haec: 99 *ἀπέπνευσεν*, 148 et 235 *ἐπνίγῃ* et *ἀπέπνιξε* (quae eadem syllaba v. 119 producitur), 191 *ἄυπνος* (fortasse etiam v. 47; sed 190 haec syllaba longa). Nam *πν* litterae nusquam in carminibus Homericis corripiuntur, v. Spitzn. p. 98; bis terve apud Hes. Opp. 567. Th. 319. Sprevit Homerus haec quoque: v. 106 *νέκρός*, sed cf. 234; 154 *κατάκρημνος*. Aper-

tissimie autem Attica aetas linguae ostenditur in correptionibus v. 93 *ποιήσας* et 128 *ἐποίησαν*; ad quae tamen cf. Hom. Epign. 14, 10 *τέχνῃ*, ib. 14 *ποιοῦσα*. Et ne quis nimiam huic rei tribuat potestatem, verbo attingam, quod latius persequi non est huius loci, non solum in lyricis omnis generis poetis, sed etiam in hymnis Homericis carminibusque minoribus tantam regnare licentiam, quanta Atticis demum concedi solet. Discrimen autem statuendum est, quod recte vidit Hermannus, ab argumento carminis; res enim sublimes numeros postulant graves et quasi nullo impedimento profluentes; contra humilis narratio leporem sibi assumit minus aequabili rhythmorum decursu, interdum etiam salebroso prolabitur alveo, qualem efficiunt correptiones unum in locum cumulatae. Attamen versus male factos ne hic quidem deprehendas; nam vel in illo 288 *αὐτὰρ ἔπειτα πέρασεν; δαιμαλέον Διὸς ὄπλον* propter diaeresin tertiam comparabili cum *E*, 580, *λ*, 260, v. Gerhard Lect. Ap. p. 218 (ubi addere possis, si codices sequare, multo peiorem Hes. Scut. 202), numeri claudicantes fulciuntur aliquo modo caesura mascula quinti pedis.

Omnia autem, quae de numeris annotavi, si sub unum conspectum posueris, hoc indicant, poetam, ut non possit Homero aut iis, qui profecti ab eo sunt, esse aequalis, ita non ad eam aetatem descendisse, qua poesis epica regulis subtilissimis inclusa est, doctumque carmen atque omnibus numeris perfectum poscebatur. Addam hisce pauca quaedam ad mensuram vocabulorum pertinentia, eo magis consilio, ne quis omissione harum rerum offendatur, quam quod inde novi aliquid effici censeam. Vocis *ὕδωρ* prima producitur v. 97, quod nusquam Homerus, v. Spitzn. p. 23, qui recte contra Hermannum defendit longam syllabam in Hymn. Cer. 381 et Apoll. Rh. 4, 290, quum eadem res locum habeat apud Xenophanem fg. 4 Delectus. De terminatione *ας* in 161 *ἐὰς* correpta apud Dorienses potissimum v. Goettl. ad Hes. Th. 60. Buttm. Gr. Max. I. p. 142. V. 234 *εἵλκυσε* media brevi legitur, ut Pind. Nem. 7, 151; Homerus vocem semper producit. De v. 213 *Πολύφωνον* unum vidi annotantem Boissonadium, qui Syllaba, inquit, *λυ* potest produci ante *φ* teste quem edidi Grammatico ad Planudis Metamorph. p. 509. Nam *φ* fere duplex est littera, quum sit quasi *πφ*, quod et de *χ* ad Theognidem monui p. 255. Vide Arnoldi Animadv. p. 4, Stephanum ad Anacr. Od. 8, 43, Fischer. ibid. ad 8, 48. V. 262 *ἦν δέ τις ἐν μυσὶν Μαριδάρπαξ* codicum lectionem intactam reliqui propter id, quod affert Goettlingius ad Theodosii Grammatica p. 244: „De longo *υ* in dativo pluralis oxytonorum aut circumflexorum in *υς* vid. Choeroboscus ap. Bekkerum p. 1185.: *εὑρίσκομεν δὲ αὐτό, φησὶ, διὰ τὸ μηπίν, ἔχον τὸ ν ἐκτεταμένον καὶ συνεσταλμένον ἐν τῇ Μυοβατραχομαχίᾳ.* Productum obliterarunt editores v. 262.“ Et confirmat scripturam imitatio

Homeri *K*, 314 *ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων*. Apud Orph. Argon. 473 est *ὀφρύσιν*. — Quod vero offensus est aliquis in voce *ἐξύφανα* v. 182 producta altera syllaba, ego id augmenti quod vocant temporalis accessione legitime fieri puto.

In loquendi genere eum, qui Homeri carmina vel deridere vel imitari voluit, eius vestigia multis rebus presse secutum esse, vix est quod dicam. Nam is quoque, qui mediocri tantum Homeri lectione imbutus ad hoc carmen accedit, non solum multas locutiones dicendique figuras repetitas esse inveniet, verum totos etiam locos celebres fabulaeque, ut ita dicam, scenas videbit expressas. Quis non in primo statim colloquio muris et ranae de illustri illo sermone Glauci et Diomedis cogitat? Quis non imprimis deos Homericos agnoscit? Quis non in magnifica oratione ad res humillissimas adaptata et in locutionibus de Graecorum ducibus pervulgatis vim comicam inesse concedit? Haec autem imitatio, qua iam supra ansam esse datam vidimus ad spurios versus in carmen inferendos, pluribus etiam locis causa fuit, cur vera lectio summoveretur. Librariis enim, ubi ab Homero discedentem videbant poetam, animus facile inclinabat, ut locutionem Homero frequentem, si modo metro conveniret, verbis ascriberent, quae deinde oborta dubitatione in textum irrepsit. Insignis ad hanc rem demonstrandam locus est v. 276 *οἵ μιν ἀποσχήσωσι μάχης*; sic enim edebatur, quum in *AGabdefg* sit *ἐπισχήσουσι*; ubi probabile est iam in archetypo annotatam fuisse alteram lectionem, quae probatur usu Homerico *A*, 798, *Ξ*, 78, *Π*, 41, *Σ*, 199, *τ*, 572. Altera autem vox *ἐπισχήσουσι* quia Attica demum aetate eandem *retinendi* significationem induit, cf. Eur. Andr. 160. Plat. Apol. 39 D. Xen. Hell. 6, 5, 14, spuria iudicari vix potest eoque magis apta huic loco esse videtur, quum praesertim indicativus futuri valeat ad confidentiam Iovis indicandam. — Sequenti versu idem in voce *μῦθον* evenit, ubi Homerum (*Γ*, 171. *Ω*, 200 al.) sequendum putarunt nonnulli librarii corrigendo *μύθῳ*, quod receperunt editores; ego autem potiores codices tutius egisse arbitror. Sed contra, ni fallor, factum est v. 104, ubi *πηρύσσειν ἀγορήνδ' ἐς δώματα Τρωξάρταο* omnes scripti exceptis *ghuy ἀγορήν*, qui id mendum ex usu Homeri ortum tollendum putabant. Quid autem, si ipsum poetam hic paullo audaciorem fuisse statuamus, ut ad *πηρύσσειν* absolute positum cogitatione subintelligi voluerit *λαόν*? — Iam v. 279 *ἰσχύσει βαιράχοισιν ἀρηγέμεν αἰπὺν ὄλεθρον* dubium nullum est, quin *s* falso correxerit *ἀμυνέμεν* ad exemplum Iliadis *Σ*, 129, quum vulgaris lectionis structura transitiva aetatem Atticam prodat, Eur. Med. 1275 *ἀρῆξαι φόνου τέκνοις*; Aesch. Suppl. 112. *ἄλλοσιν ἀρήγειν*. Etiam v. 245 *βαῖνεν ἐπ' αὐτόν* is qui scripsit *x*, maluit *αὐτῷ*, quo legisse Homerum se ostendit; eademque res est v. 239 *ῥίψειν ἐπ' αὐτόν*, ubi deteriores omnes dativum iniuria praetulerunt. — V. 66

ἀπαλοῖο; deteriorum τρυφεροῖο κατ' αὐχένος ex recordatione Homeri Γ, 49 fluxit, sicut in v. 111, de quo supra dixi, μοῖρα τέτυκται ex frequenti huius locutionis usu natum videtur. Imprimis autem perversa imitatio cernitur v. 12 ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζε, ubi vera lectio ἔπος δ' ἐφθέγξατο τοῖον certe non ex Herod. 7, 103 invecta est, sed poetae huius consuetudine confirmatur, cf. 92. 271. Iam nemo, opinor, dubitabit v. 181 legere τοῦτο δέ μου λίην ἔδακε φρένας, etsi x tenet μοι auctore Homero, qui semper ita dixit, E, 493. — V. 174 editiones habent ἐπαλεξήσουσα, Homericum illud quidem (Θ, 365. Λ, 428), sed sine ullius auctoritate codicis, quum suspicer Chalcondylam invenisse ἐπαρήξουσα, ut est in y; reliqui autem tenent βοηθήσουσα, quod non est cur reiiciamus. — Restituenda etiam est vera lectio v. 110 εἰ καὶ — πολλὰ πεπόνθειν ex AGcdgy, a quibus stili tantum errore discrepat f ἐπεπόνθει, dum ceteri legunt πέπονθα, fortasse secundum ρ, 284; sed plusquamperfecti usum huic loco accommodatum testatur Dem. Mid. § 31. — Interpolatorum autem codicum conditio cum saepe alias, tum praecipue cognoscitur v. 272 ἦ μέγα ἔργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, ubi uyz praebent μέγα θαῦμα τόδ', optime illi quidem concinentes cum Homero (N, 99); sed illud etiam reperitur, ut μέγα ἔργον cum virtute sit dictum χ, 408, ω, 426. — Similiter v. 295 ut exhibent ἀγκυλοχείλαι, quod quum ex Π, 428 in mentem venisset, ne ferri quidem potest de cancris, qui sunt ἀγκυλοχῆλαι; cf. Etym. M. s. v. Schol. Ar. Equ. 197. — Uno denique loco dubius haereo, quo me vertam; legitur enim v. 243 πᾶσα δ' ἐκλάσθη κνήμη δεξιτερή, sed AGabdefgi ἐάγη legunt, sine dubio petitum ex Λ, 558, quem eundem locum respexit Choerilus ap. Athen. XI. p. 464 A, quum ita clausit hexametrum ἀμφὶς ἐαγός; sed vereor, ne in archetypo ludendi causa illud quoque annotatum fuerit. —

His rebus consideratis si intellectum erit hunc poetam non molesta illa diligentia ad exemplar suum elaboravisse, minus iam mirum videbitur multis aliis in rebus ad elocutionem pertinentibus posterioris aetatis conspici vestigia. Nemo enim scriptor tam est sui dissimilis, ut seculi sui mores et voluntatem prorsus denegare possit totumque quum in aliis rebus, tum a linguae potissimum consuetudine se avertat. *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.* Atque hunc poetam id ne voluisse quidem luce clarius est neque eget demonstratione. Quapropter ne docere velle videar, quae si sapias in hoc genere nihil opus est doceri, breviter tantum ea, quae valent ad confirmandam de huius carminis aetate propositam sententiam, annotabo *).

Primum quidem formae Atticae, quamquam poeta, ut par

*) Nemo, opinor, h. l. desiderabit plenum omnium vocabulorum, quae non sunt apud Homerum, recensum; quem dedit Schliebenius l. c.

erat, in ceteris dialectum Homericam amplexus est, nonnullae intercurrunt. *Μουσῶν* v. 1 male Barnesius et Ilgenius in *Μουσέων* mutarunt; 130 *βελόνη*, quod antiquiorum Atticorum esse dicit Lob. Phryn. p. 90; 53 *ῥαφάνας*, ad quem locum vide Matthiaei notam et Lob. Phryn. p. 141; 56 *μειδιάσας* (sic boni libri pro *μειδήσας*) cf. Lob. Phryn. p. 82. Ne satis quidem Atticum esse videtur 184 *ἠπητής*, de qua voce Lob. Phryn. p. 91: „Praeter Xen. Cyr. 1, 6, 13, cuius aliquot codd. pro *ἀκεσταὶ* exhibent *ἠπηταὶ* et Batr. scriptorem nullus Graece scribentium hoc nomine uti sibi permisit.“ Dubitationem affert v. 182 *ἐξύγγνα*, ubi *AGdegy ἐξύφανα*, quam formam in posteriorum tantum scriptis probat Lob. Phryn. p. 26. Sed v. 162 *σεύτλων*, quod est Ionum et antiquorum Atticorum ex praecepto Thom. Mag. p. 843, etiam propter nomen ranae inde derivatum v. 211 non mutandum videtur in recentiorem formam *). Complura deinde sunt vocabula apud antiquiores non inventa, sed posterioribus demum seculis propria; 9 *ἀψαλέος*, 87 *σύρω*, 78 *ἐπινώτιον*, 189 *ἐκοπώθην*, 304 *μονοήμερος*. Aoristi forma *κατέτρωξαν* 126 et 182 tantummodo apud Timonem fg. 7 legitur; 267 *ῥάχις καρύου* comparari potest cum Herod. 3, 54. 7, 216. Theophr. Hist. Plant. 3, 7, 5. 3, 17, 4. 3, 18, 7 *ῥάχις τοῦ φύλλου*; 268 *κένωμα* medicis usitatum significat *spatium vacuum*; 279 *ἰσχύσει ἀρηγέμεν*, quae structura mihi non innotuit nisi ex LXX, 2 Paralip. 2, 6 *τίς ἰσχύσει οἰκοδομῆσαι* et Philon. de mundo *ἀχθοφορεῖν ἰσχῦσαι*, Phalarid. epist. p. 216; 304 *τελετή* pro *τέλος* positum nondum legi. Etiam v. 14 *ἀληθεύω*, 41 *ἄρτυμα*, 125 *διὰ νυκτὸς*, 129 *μεσόμφαλον* non ante Atticam aetatem leguntur. Exemplis denique plane carent 254 *ἥμι-*

*) Huc etiam pertinent duae formae, 234 *εἴλκυσε* et 236 *τεθνειώτων*, quas inde ab Aristarchi temporibus ex Homericis carminibus relegatas tradunt scholia. Et *εἴλκυσε* quidem Zenodoteum est (sine dubio igitur forma antiquioribus aetatibus usitata), quum ex Aristarchi praecepto ubique dempto augmento in nostro Homero legatur *ἕλκυε*, ut annotavit Gerhard Lectt. Ap. p. 94 coll. Schol. *Δ*, 213. *Λ*, 457. *Ν*, 383. *Π*, 406. 504 Idem observavit *τεθνειώτων* unum Zenodotum apud Homerum habuisse (ex eoque Apollonium Rhodium), Aristarchum scripsisse *τεθνηώς*; Schol. Ven. *H*, 409. *I*, 629. *Κ*, 343. *Π*, 16. 526. 858. *Ρ*, 161. 229. *Σ*, 537. — Quod. v. 47 legitur *τήδυμος*, id olim valere putabam ad spurium locum illum 42—52 iudicandum, quia Aristarchum demum illam formam ubique restituisse, Zenodotum *ἥδυμον* scripsisse eodemque modo Apoll. Rhod. 2, 407 affirmat Eust. ad *B*, p. 163, 28, cf. Gerh. Lectt. Ap. p. 94. Et sane quidem apud lyricos et Antimachum *ἥδυμος* in usu fuisse constanti videtur, Schol. Ven. *B*, 2, Etym. M. p. 420, 47. Consentiunt etiam hymnorum scriptores, Merc. 241. 449, et hymn. Hom. XIX, 16 *μοῦσαν ἀοιδῶν τήδυμον*, quum necessario requiratur suavitatis notio, reponendum est *ἥδυμον*. Manet autem neque ullis machinis removeri potest Hymn. Ven. 171 *γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν τήδυμον*, ubi altera significatio ferri nequit. Nihil igitur in loco Batr. hinc de interpolatione posterioris temporis concludendum, quum praesertim ipsa forma errore illata esse possit.

πνους, 257 τετράχυτον, 268 φράγδην. Sed 119 ἐς βυθὸν ἄξας vix ferendum esse C. F. Hermannus me monuit coll. Lob. Phryn. p. 287, et verissime reposuit ἄξας, quod saepius cum illo confusum docet Lob. Phryn. p. 743. Nam v. 115 falso aliqui codices ἦξαν correxerunt, quum archetypus pessime ἐς μόρον ἔκταν; scribendum est cum aliis εἶλξαν. — Interdum etiam significatio vocabulorum mutata posteriorem aetatem declarat. Ut καταΐδον v. 11 et 147 apud Atticos demum propriam *despiciendi* potestatem abiecit, quam retinet apud Homerum. V. 40 et 5 μέροπες Homerum et Hesiodum non substantive dixisse observavit Ruhnk. Epist. crit. I. p. 85. V. 96 πλανᾶν *fallere*, 97 ἔκδικος *ultor* non ante Herodotum, ut videtur, exstant. Ex voce ἐὴν pro σὴν (v. 23), quia magna est virorum doctorum dissensio (v. Wolf. Prolegg. p. 247 sqq. Voss. ad hymn. Cer. p. 48 sqq., qui hunc usum ipsi Homero vindicare studet), in hoc tempus aliquid concludere non ausim. Ad v. 121 κοσμήσαντες ἐν ὅπλοις (ita enim coniungendum) comparari possunt Plat. Legg. 7, 796c. Soph. Phil. 1053. Eur. Phoen. 1368; ad 82 δεινὸν ὄραμα (ionice ὄρημα) Xen. Cyr. 3, 3, 66. Arist. Eth. 10, 3, 7, alia; ad 43 σῶμα φορούντα cf. Boisson. ad Nicet. p. 73, 441 et Choerili frg. ap. Ioseph. c. Apion. p. 454 ἵππων ἅρτα πρόσωπ' ἐφόρευν ἐσκληκότα καπνῷ. Tragicum dicendi genus genus sapiunt 13 τίς σ' ὁ φύσας, cf. Soph. Trach. 1026. 1175; 145 ἐτάραξε φρένας, Soph. Ant. 1082. Eur. Bacch. 1320. Hipp. 969; 159 τὸ μυοκτόνον τρόπαιον, quod Bernhardyus Litt. Gr. II. p. 132 iam notavit, qui idem composita ὀξύσχοινος, σηραμιότυρον ab usu antiquiori abhorrere dixit. Quod autem ad formam ἔοργαν, quam Alexandrinorum dialecto tribuerunt Buttm. Gr. Max. I. p. 345 (qui tamen carmen hoc pervetustum habere non dubitat), et Barnesius ad κ, 138, qui contulit πέφρικαν Lycophr. 252, ἔγνωκαν Ioann. Evang. 17, 8, εἴρηκαν Apocalyps. 19, 3, ego eandem iam apud veteres epicos exstitisse arbitror, quod ex usu Lycophronis concludo, qui certe illam formam non usurpasset, nisi antiquum aliquem auctorem repperisset. Ceterum fortasse ad hanc formam eligendam valuit recordatio loci simillimi *E*, 175. Neque magis offendere debuit Bernhardyum 157 εὐθύ, de qua voce cf. Hemsterh. Lucian. I. p. 437. Lob. Phryn. p. 145. Valoken. Ammon. p. 90 sqq.; item 210. 214 ἔπτη, qua forma usi iam sunt Hes. Opp. 98. Empedocl. 92 Karsten. Omnino autem cavendum est, ne quis talia proferat, ut 207 σῶμα, quod Homerus quidem ex Aristarchi sententia nunquam posuit nisi de cadaveribus, Schol. Ven. *Γ*, 22; sed Hesiodus certe de vivo corpore Opp. 540; vel ut ἑός ad pluralia nomina relatum 103. 161, quod apud Homerum nunc non exstat, cf. Spitzn. ad *Λ*, 76, Lehrs. Quaest. epp. 260; sed hunc usum iam habet Hes. Opp. 58. Alia est res et prorsus singularis v. 179 ἐλθοίμην, ubi Frankius, quem probo, „Wolfius, inquit, de coni. dedit ἐρ-

χοίμην. Fortasse scripsit poeta ἐλθοίην. Vid. Buttm. Gr. Gr. II, 182. Goettl. ad Arist. Pol. p. 360," (qui affert schol. Ven. Ξ, 241). — Structuram v. 193 παυσώμεσθα ἀρήγειν reprehendit Thomas Mag. p. 284 Ritschl; sed pluribus etiam locis hunc usum vindicavit Schaefer ad Schol. Par. Apoll. Rhod. 3, 48. — Male autem semper me habuit languidissimum participium 117 μνῶν ὑλέειραν ἐοῦσαν. Sed tamen ideo mutandum nihil censeo; sunt enim alia quoque in omnibus fere carminis partibus, quae dura, incúlta, horrida sunt adeoque carent venustate, ut etiam infra pedestris orationis elegantiam descendere videantur. Sed haec res iam ad ea pertinet, quae de consilio et de virtutibus carminis nunc breviter exponam.

§. 9. *De consilio carminis.*

Initio disputationis quae posui verba Hermanni, plures constituendas esse Batr., quarum multa communia, alia diversa sint, ea hoc loco paullo accuratius perpendenda sunt. Etenim si erit concessum, quod istius sententiae necessario est consequens, carmen hoc quale nunc sit, ex pluribus diversis a grammatico nescio quo esse conflatum, tum iam non de consilio per omnes partes instituto poterit cogitari. Sed propius inquirendum videtur, quae illum rationes impulerint. Etsi enim ipse variarum lectionum molem indicavit, ego non adducor, eum ad parvas interpolationes illas, quas supra annotavi ex codice archetypo, respexisse, ut carmini simplicitatem et unitatem deesse demonstraret. Alia autem quaedam adsunt suspicioni obnoxia, sed eadem a nullo, si recte memini, animadversa, ad quae verisimile est Hermannum oculos intendisse.

Vidimus supra, ubi quaestio erat de vss. 212—221 (p. 33), a multis codicibus abesse versus 218. 219. Causa quidem huius consilii patet (nam casu factum id esse non potest); nempe Lichenor iam 204 primus omnium erat occisus, ideoque ex editoribus quoque Ilgenius Δηξήνωρ coniecit, Δηξήνωρ Boissonade; rectene, quaeritur. Nam accuratius consideranti pluribus locis eodem modo repugnantia leguntur. Ψιχάρπαξ enim, cuius mors miserabilis crudelissimi causa belli fuerat, v. 236 pro mortuis muribus propugnat posteaque v. 246 iterum diem obit. V. 208 occiditur Πηλείων, qui alius potest esse nullus quam Φυσίγναθος coll. v. 19; sed is iterum v. 252 in calce pedis vulneratur (ἐς πόδα ἄκρον, in quo videtur inesse significatio fabularum de Achille Pelei filio vulgatarum). Deinde Τρωγλοδύτης v. 216 interfectus esse narratur, quem eundem vivum cognoscimus v. 249 sqq.; ubi quod pro eo nomine inest in ωχυ Σιτοφάγος, aperta est interpolatio. Tum Πρασσαῖος (quem um appellant Πηλούσιον adversante metro, Barnesius mutavit in Πρασσοφάγον) interficitur v. 237, tela iterum vivus mittit v. 254. Denique Ἐμβασίχυτρος non admodum dubium est quin mo-

riatur v. 211; sed idem v. 228 res gerit, quamvis *uxm* versum illum non habeant, *z* autem hic et v. 232 nomina ita permutet, ut mus murem, rana ranam occidisse videatur. Quid vero? Omnesne hos locos corrigamus contra codicum bonorum fidem? At ratio ipsa vetat. An vero cum Barnesio aliisque *ὁμωνύμους* fortasse propter egestatem ingenii a poeta fictos esse putamus, ut scimus in quaestione illa *περὶ Πυλαιμένεος* (conf. Schol. *E*, 576) factum esse a quibusdam grammaticis? Sed haec tamen ratio ita misera est, ut ne in hunc quidem cadat poetam, praesertim in tam exiguo carminis ambitu. Duo igitur restant, quae cogitari possint, ut haec repugnantia aut posteriori tempore sint illata, aut poeta scripserit certo quodam proposito consilio. Quas inter rationes iudicium facere sane difficillimum est. Quid enim? Tam incondite iam antiquis temporibus carmen hoc interpolatum credamus, ut perturbarentur omnia sibique repugnarent? Quo tandem illud consilio? An ipsum poetam quisquis fuit lusisse arbitramur animique explendi causa insulsissima quaeque confinxisse, quae docti Graeci, ut videtur, legere non dedignabantur? At ne rem totam praematura festinatione praecidamus, adsunt fortasse alia, quae simili ratione implicata dubitandi materiem praebeant. Certe non solum in nominibus, sed in rebus quoque intercurrunt, quae iure mirari possis. V. 234 in codd. ita legitur *Πρασσαῖος δ' ἐπιδὼν ποδὸς εἵλκυσε νεκρὸν ἐόντα Ἐν λίμνῃ δ' ἀπέπνιξε κραταῄσας χειρὶ τένοντα*, ubi quum suffocatio mortui muris absona esse videretur, Chalcondylas v. 234 clausit *Κνισσοδιώκτην* (quod Lycius ceterique ad unum omnes retinuerunt); contra *xy* loco mederi studuerunt pro *ἀπέπνιξε* scribendo *ἀπέθηκε*; utrumque falsum esse elucet. Quid, quod 249 *παρ' ὄχθῃσιν ποταμοῖο* proelium commissum esse videmus, quum aliis locis, ut 253, lacus *λίμνη* propinquus sit pugnae locis. Sed poeta ut in his rebus sibi non constat, ita omnino in descriptione proelii non servavit unitatis rationem, confuse multa egit, obscure et negligenter locutus est; ipsa denique haec pars carminis magis centonis Homerici est similis, quam parodiae, ut fere data opera rerum lucidus ordo rectaque expositio repudiata esse videatur. Quae omnia intuens paene in eam delapsus sum sententiam, ut ad irridendum ipsum Homerum ea efficta esse statuerem. Nam quum non pauca in Iliade legantur, quae iam veteribus grammaticis cum aliis locis pugnare videbantur, ita ut haec ipsa ansam darent ad criticam vel ante Ptolemaeorum aetatem factitandam, non longe abest suspicio, quin grammaticus aliquis, qui stetit a partibus *ἐνοτατικῶν*, haec interposuerit ad cavillandam ceterorum superstitiosam fidem. Nam ipsum poetam, quem ante tempora Antimachi floruisse diximus, quominus tale quid molitum arbitremur, prohibent carminis natura et ruditas poetae. Ut brevi absolvam, quod longior dies melius aliquando docebit, sententia eo incli-

nat, ut extrema carminis pars, qua proelium describitur, posteriori aetate aut plane sit novata aut certe crebro interpolata. Neque tamen ideo Hermanni complura carmina inter se diversa probo; in reliquis enim partibus ita nihil inest, quod in hanc opinionem possit adducere, ut omnia potius aptissime disposita, simpliciter narrata, ad Homeri denique exemplar tanquam e vivo expressa esse facile perspiciatur.

Sed iam hinc transeundum est ad quaestionem illam omnium in hac re difficillimam et ex qua plurima tamen pendent; eam dico, quae est de consilio totius carminis; de qua diversissimae ad hunc diem feruntur sententiae. Nam quum veteres, qui pauci tantum carmen nominatim tangunt, lusum poeticum id accepisse videantur, ut Martialis *), Statius **), Fulgentius ***), recentiores in alia omnia abierunt. Et ex iis quidem temporibus, quibus carmina ad mores hominum recte conformandos inventa esse infecundissima carminum aetas sibi persuaserat, exemplo esse potest Melanchthonis iudicium, qui in dictatis scholasticis ad Batr. poetae propositum in eo esse putavit, „ut odium turbarum et seditionum animis legentium instillaretur". A cuius sententia non multum abest Petrus de la Seine in Gronovii Thes. Ant. XI. p. 1341, qui censet „Homerum ad victus potusque continentiam iuvenes voluisse informare"; nempe quia mus novarum studiosa deliciarum interit; similiterque M. Crusius in Turcograecia cum Novi Testamenti parabolis carmen comparat. Lycius et ipse propter sententias morales poetam egregie commendari iudicavit. His et multis aliis unus Clericus opponi potest, qui teste Fabricio Batr. scriptam esse a quodam ad exagitanda Homeri poemata dixit in Bibl. sel. T. 22 p. 268. Sed mirum παράδοξον, ut illis temporibus, posuit Hermannus von der Hardt, vir et aliunde mirabilium opinionum studio notus, qui Helmstadiae 1717 totum volumen conscripsit, ut ostenderet, sub huius fabulae nomine nihil aliud nisi Myonensium (μυνῶν) et Trachiniorum (βατράχων) bellum nescio quod a poeta perstringi idque minima quaque re confirmari ivit demonstratum. Postea autem quum plurimi satis haberent parodiam Homeri agnoscere, Welandius primus l. c. dubitanter hanc sententiam protulit, „ludicro modo descriptum esse certamen in civitate Graeca exortum inter nobiles, qui tanquam γεωμόροι non inepte mures possint dici, et plebem ranarum nomine notatam, quoniam democratia saepe navali re nisa sit". Cui ego hoc unum obiiciam, consilium illud si vere subfuit, quum in totius carminis conformatione, tum vero etiam in rebus singulis ita debuisse

*) Epigr. XIV, 183: *Perlege Maeonio cantatas carmine ranas; Et frontem nugis solvere disce meis.* — **) Silv. praef. ad Stellam: *Nam et Culicem legimus et Batr. etiam agnoscimus; nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit.*

***) Mythol. I init.: *Quod Maeonius ranarum cachinnavit proelio.*

eminere, ut neminem paulo peritiorem fugere id posset. — Sed in eandem paene quam veteres illi sententiam devenerunt nonnulli recentiores, qui fabularum Aesopicarum generi carmen adnumerandum censuerunt, Jacobus Grimmius ad Reinhartum praef. p. XIV. CCXXIX et Gervinus in Hist. Poes. Germ. III. p. 55 sqq. Is tamen qui scripsit de fabulis Aesopicis, Grauertus (Bonnae 1823 p. 13) sensu quodam ductus id significavit, quod etiam in illos cadit, et longiorem esse narrationem quam pro fabulae modo, neque ad erudiendum, sed ad delectandum et perstringendum compositam. Fabulae enim, quales sunt Aesopi et Babriae, docere debent; valent ad mores recte fingendos et ad prudenter agendum; quorum nihil inesse in Batr. vidit etiam Hertzbergius ad Babriam p. 146 sq. —

Sed quoniam haec quoque sententia concidit, ut mea tandem proferam, ante omnia hoc tenendum videtur, Batrachomyomachiam *carmen esse parodicum*. Verum quia parodiam habere aliquod argumentum necesse est, ad quod intendatur; quaeritur, quidnam id sit, ad quod potissimum hic poeta spectaverit. Epici carminis ludicram imaginem referre voluit; hoc quidem apparet. At Homerum, summum vatem, perstringere ausus est? Hunc vero nullo modo; sed sectatores eius, eos quos Horatius vocat *servum pecus imitatorum*. Ut uno verbo, quid sentiam, eloquar, poeta cyclicorum eorumque qui eos secuti erant putida carmina deridere in animo habuit. Et sicut Aristophanes, quum derisum iret sophistarum vanas iactationes ingruentisque morum pravitatis auctores sale Attico perfricaret, non de grege unum, sed Socratem, virum sanctissimum, ipsi ut videtur familiarem in sceniam atque in communem omnium irrisionem introduxit, ita hic poeta suae aetatis misellos versificatores exagitaturus ad Iliadis exemplar confinxit carmen. Recte, si quid video; nam nisi facetias suas direxisset ad praeclarum aliquod opus et quod in omnium ore menteque versabatur, sed quemlibet ignobilis poetae foetum ad vellicandum imitatione sibi proposuisset, procul dubio mox oblivione obrutus simul cum illo erat interiturus. Illam autem si coniecturam sequemur (neque enim tam sum audax, ut pro certo hoc affirmem), id lucrabimur, ut simul intelligamus, cur carmen illud aetatem tulerit, simul qui fiat, ut multa nobis nunc obscura sint. Nam quum supra viderimus, multa in sermone inesse, quae ab Homeri more plane abhorreant, iam res nonnullae accedunt, quae diligentius quaerenti non minus mirabilia esse debeant. Statim prologus carminis quem dicunt, ad Homerum spectare non potest, sed tumidum quendam, ut videtur, fabularum compilatorem magnoque promissorem hiatu significat. Complura enim respectum habent reconditiorem, ut illa *ἦν νέον ἐν δέλτοισιν* et *μερόπεσσιν ἐς οὔατα πᾶσι βαλέσθαι*; neque absonum erit ex hoc versu *γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα Γιγάντων*, ubi mu-

res ob vitae conditionem lepide cum Terrae filiis componuntur, concludere rideri a poeta nescio quam Gigantomachiam. Atque ex hac ipsa re confirmatur lectio ὡς ἕπος ἐν θνητοῖσιν ἔην, quam ex codd. supra dixi recipiendam esse, quod aperte poeta *epicus* carpitur, quem hanc vel similem formulam initio carminis posuisse coniicias. Sed quid prodest res singulas afferre? Fateor enim, in tanto Graecarum litterarum naufragio me nihil magis quam ceteros exploratum habere, ad quem potissimum poeta nervos intenderit. Nam quum fragmenta epicorum et lyricorum, quae supersunt, ad Alexandri usque aetatem perlegerim, nihil fere inveni, cuius aliquam significationem in hoc carmen transiisse appareret. Nisi quis forte versu 19 καί με πατὴρ Πηλεὺς ἀνεθρέψατο Ὑδρομεδούσῃ μιχθείς praeter Achilleam fabulam Xenophanis quoque doctrinam lepide irrisam cognoscere sibi videatur: πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐγενόμεσθα *), aut v. 263 (qualem nunc dedi) significari putet versum ex Oedipodia cyclica citatum ap. Schol. Eur. Phoen. 1760 παῖδα φίλον Κρείοντος ἀμείμονος. Magis autem credibile est, cancros a Iove subito advocatos, ne ranae ad internecionem usque caederentur, qui lepide describuntur, οἵ ῥα μυῶν οὐρὰς ατομάτεσσιν ἔκοπτον ἠδὲ πόδας καὶ χεῖρας, ad simile factum respicere in Panyasidis Heraclea narratum, de quo Eratosth. Cataster. 12 οὗτος (ὁ Καρκῖνος) δοκεῖ ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι διὰ Ἥραν, ὅτι μόνος Ἡρακλεῖ τῶν ἄλλων συμμαχούντων, ὅτε τὴν ὕδραν ἀνῄρει, ἐκ τῆς λίμνης ἐμπηδήσας ἔδακεν αὐτοῦ τὸν πόδα, καθάπερ φησὶ Πανύασις ἐν Ἡρακλείᾳ (Idem dicit Interp. Germ. Arati p. 51). Quid, quod versibus 74—78, quod supra demonstravi, acerbissima inest irrisio elegiaci alicuius poetae, qui tenue argumentum verborum tumore deorum heroumve gestis exaequare studebat? Eodemque nomine Welckeri iudicium, quod supra attuli, ficta illa animalium nomina spectare ad genus poeseos genealogicum solis nominibus heroum refertum, in quo seriores epici mirifice sibi placebant, vehementer probandum censeo. Ipsa denique illa, quam spuriam credidi, turbida pugnae descriptio nescio an bene se habeat, si posuerimus carpi poetam aliquem iratis Musis natum. Quamquam haec quidem, quae sciri accurate nullo modo possunt, mittenda mihi sunt. Verum probata ea quam posui coniectura hoc quoque facile intelligetur, quomodo factum sit, ut carmen hoc non solum apud Alexandrinos tanto in contemptu fuerit, ut nusquam eius nomen appareat, verum hodie quoque viris rectissimi iudicii non sine exceptione probetur. — Postea enim quam earum rerum memoria evanuit, ad quas spe-

*) Fg. 9 ed. Karsten. Advertas autem lusum verborum πηλὸς — Πηλεύς, ut v. 263 Κρείοντος nomen cum κρέας (κρεῶν Hom. ε. 9), κρεῖαι, κρεωδόκος cohaerere videtur.

ctabat poeta, carmen pro lusu erat satis ieiuno, ut apud Romanos videmus modo allatos. Illis deinde temporibus, quibus pro morali poemate, ut dicebant, venditabatur carmen, non solum editionum paene nubes testatur, quam sit in deliciis habitum, sed ipse Melanchthon *mellitissimum carmen* dixit, erantque vel quibus Batr. videbatur ex ipsorum verbis „nobilior propiorque perfectioni quam Odyssea et Ilias, immo utramque superare iudicio ac ingenio et praestantia texturae". Nuper autem valde iam frigere coepit carmen, quippe cui vim comicam plane deesse et artem inventionis non temere iudicarunt Odofr. Muellerus in Hist. Gr. Litt. I. p. 262 et Bernhardyus in Hist. Gr. Litt. II. p. 128. Quorum hic alter merito ceteros parodiarum scriptores multis partibus praestare dixit; id quod praecipue in Matronis quod nobis restat *Δεῖπνον* cadit. Quantum in illo carmine salis, quam exquisita rerum dictorumque repugnantia! Sed hanc ipsam ob causam num recte contendemus murium pugnam eodem genere parodiarum esse? Nonne potius, quod dudum tracto, peculiarem aliquam carminis condendi occasionem fuisse dicemus, quam nunc in ignoratione auctoris eruere nequeamus?

Sed missis iam his suspicionibus, quae ad liquidum perduci nequeunt, si ad Pigreta revertitur oratio, ego Plutarchi auctoritatem non ita spernendam puto, ut a Pigretis nomine carmen abiudicem, praesertim quum ea, quae modo disputavi, non solum nihil impedire, sed quodammodo etiam confirmare eam sententiam videantur. Nam quum temporum rationes optime congruant, patria viri atque ipsius conditio non minus accommodata sunt ad occasionem talis argumenti poetici praebendam. Fuit enim oriundus Halicarnasso, Cariae urbe, atque ex ipsa gente regum barbarorum, qui hanc urbem, Doriensium quae fuerat colonia, tunc temporis occupatam tenebant; cf. Herm. Antiqq. Gr. publ. § 79, 6. Inde fortasse sermo non satis excultus, egestas linguae, elegantiae defectus, ea denique ruditas, quam civi Atheniensi propter Minervae templum v. 175 commemoratum nollem tribuisset Grotefendius in Encyclop. Hal. Sect. II, Vol. X, p. 224. Si quis autem illam urbem ne parem quidem vel tali carmini condendo censeat, is meminerit ibidem eodem tempore, id est circa bella Persica, floruisse Panyasidem, mox exstitisse Herodotum; unde apparet bonis artibus in ea urbe et locum fuisse et honorem. Ipsi enim reges quanto studio litteris colendis artibusque faverint, non exiguo documento est Artemisiae Mausoli coniugis monumentum celeberrimum in coniugis honorem exstructum atque certamina illa litteraria, ad quae ipsos Isocratis discipulos traditum est descendisse; v. Plut. vit. X or. p. 838 B. Gell. N. A. X, 18. His igitur rationibus ductus ranarum et murium pugnam Pigreti Cari satis probabiliter vindicandam putavi.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

CANCELLED

DEC 20 '67 H

17 1628

Gh 63.330
Prolegomena critica ad Batrachomyom
Widener Library 004130935
3 2044 085 127 033